by Goo

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CASTI INNOCENTIS
ANSALDI
ORDINIS PRÆDICATORUM

DE

AUTHENTICIS
SACRARUM SCRIPTURARUM APUD
SS. PATRES LECTIONIBUS

LIBRI DUO

AD SS. D. NOSTRUM
BENEDICTUM XIV
PONT. MAX.



M D C C X L V I I
TYPIS SEMINARII VERONENSIS
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

9. 2. 119

Digitized by Google



BEATISSIME PATER.

INter cetera abs TE, Beatissime Pater, humaniſſime in me collata beneficia, illud præ reliquis ſemper feci, quo tuis illis, auro contra æſtimandis, ad me datis Epiſtolis ſigni-

Digitized by Google

ficare non modo dignatus es, probata fuiſſe Sanctitati tuæ *quæ hucuſque a me edita fuerunt; verum & hortari etiam voluiſti, ut in inceptis ſiſterem, & Opus aliquod ſolidum, ac Catholico Viro dignum, Eccleſiæque utile concinnarem. Attamen, ut quod verum eſt fatear, angebar vehementer,* Pater Beatissime, *me imperio tuo, pro voluntate ac dignitate, continuo ſatisfacere non poſſe, cum propter ingenii ac virium imbecillitatem; tum etiam quod carerem ſubſidiis ac monumentis illis, quibus ſpiſſa ac grandia congerere Volumina ſolemus; tum denique quod beneficio tuo Sacras Auditoribus meis tradens Diſciplinas, illis nec deeſſe poteram; nec id TE haud facile paſſurum ignorabam. Hoc igi-*

tur

tur loco poſitus plurimas furatus ſum ſomno & quieti horas, ut obedientiam Tibi debitam meo cum munere componerem; tuo ad id incitatus veluti Exemplo, qui tanta hac ætate, tantaque in dignitate, in tanta rerum gerendarum mole noſti tempus capere Studiis ac Litteris vacandi. Quare quum ſe mihi pulcherrimum obtuliſſet argumentum, occaſio vindicandi ſcilicet Sanctos Patres, *ac veteres Eccleſiæ Scriptores, qui Sacrarum teſtimonia Scripturarum temere, tumultuario, arbitrario, memoriter ſuis frequentiſſime allegaſſe in Scriptis ab aliquibus magni nominis Scriptoribus dicuntur; duos hoſce ad umbilicum perduxi de Authenticis eorum Citationibus Libellos, quos pedibus* Sanctitatis tuæ, *qui Auctor mihi*

ſcri-

ſcribendi fuiſti, humillime offero ac dico. Unum autem abs TE peto, Pater Optime ac Sanctissime, ut eos ſolita benignitate tua clementiſſima excipias; certuſque ſis, nullum me umquam diem, nullam aut locorum aut temporum inclementiam a Muſis ſacris, TE Patrono atque Auſpice, abſtracturam.

Digitized by Google

NOS FR. THOMAS RIPOLL

S. T. Profeſſor, ac totius Ord. Præd. humilis Mag. Generalis, & Servus.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate Officii, quantum in nobis eſt, facultatem concedimus R. P. L. F. Caſto Innocenti Anſaldi Provinciæ noſtræ V. Lombardiæ Typis edendi Librum, cui Titulus, *De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud SS Patres Lectionibus*, ab ipſo compoſitum: dummodo prius ab A. R. P. M. F. Placido Serafino Rodengo, & R. P. L. F. Paulo Serafino Facconi ejuſdem Provinciæ reviſus, & approbatus fuerit, & ſerventur cætera de jure ſervanda. In Nomine Patris, &c. In quorum, &c.

Dat. Romæ in noſtro Minervitano Conventu die 11. Februarii 1747.

FR. THOMAS RIPOLL

Mag. Ordinis.

Regiſtr. pag. 152.

F. Thomas Aug. Ricchinius Mag. Collegii Caſanatenſis Theologus & Pro-Socius.

Digitized by Google

LIbros duos, *De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud SS. Patres Lectionibus* inſcriptos, quos P. Fr. Caſtus Innocens Anſaldi S. Theologiæ Lector compoſuit, juſſu Reverendiſs. Patris Magiſtri Fr. Thomæ Ripoll Generalis noſtri Prædicatorum Ordinis diligenti animadverſione perlegi; cumque eoſdem non mediocri ſacra eruditione, ingentique argumentationum copia ad rem concludendam, nec non Catholicis ſenſibus undequaque refertos invenerim, publica luce dignos eſſe cenſeo.

Dat. Brixiæ in Conventu S. Dominici die 20. Martii 1747.

Fr. Placidus Seraphinus Rodengo
Ordinis Prædicatorum Sacræ Theol. Mag.

OPus *De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud SS. Patres Lectionibus*, a viro acerrimi ingenii F. Caſto Innocente Anſaldo nuper conſcriptum, mandante Rmo P. F. Thoma Ripoll Ordinis Magiſtro, ſumma animi voluptate legi, & accurate expendi. Eſt in eo exquiſitum differendi artificium, ſolida eruditio, tum varium argumenti genus ad rem conficiendam accomodatiſſimum. Hanc ob rem eximium opus, & adamuſſim orthodoxum publica luce digniſſimum cenſeo, quod & Sacrarum Litterarum ſtudioſis plurimum utilitatis, & Cl. Auctori plurimum ornamenti allaturum eſſe confido.

Dat. Brixiæ in Conventu S. Dominici die 11. Aprilis 1747.

Fr. Paulus Seraſinus Facconi
S. Scripturæ Lector Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

PROSPECTUS OPERIS.

LIBRI PRIMI

CAPUT I.

Operis occaſio. Eorum ſententia, qui Patres Scripturæ teſtimonia memoriter, arbitrario, tumultuario ſæpeſæpius recitaſſe docuerunt. Pag. 1

CAPUT II.

Duo errata ab iis, qui Sanctos Patres temere Scripturæ teſtimonia recitaſſe ajunt; Confundunt nempe hodiernos Codices cum Prototypis, & nullas admittere in noſtris Exemplaribus videntur in ratione exprimendi a prioribus diverſitates. Pag. 7

CAPUT III.

Alterum eorum erratum, qui Veteres in citandis Scripturarum teſtimoniis nullam habuiſſe conjiciunt verborum rationem; præconcipiunt nempe, Variantes omnes ſat in præſens eſſe notas ac vulgatas. Pag. 22

CAPUT IV.

De ſtudio veterum Chriſtianorum erga Scripturas Sacras: Eorundem adverſus Scripturarum corruptores querimoniæ: Cetera demum, quæ manifeſte indicant, non ſenſus modo, ſed verborum etiam rationem eos ha-

** *bere*

bere debuiſſe. Pag. 35

CAPUT V.

Celebriores Bibliorum Editores præconceptum habuiſſe, Sanctos Patres ſuarum adhæſiſſe ſaltem textubus Verſionum; eademque in ſententia Theologorum præſtantiſſimos verſatos. Pag. 48

CAPUT VI.

Præſtantiores Criticos SS. Patrum citationibus, ceu idonea ac tuta uſos via ad veterum Sacrorum Codicum Lectiones inveſtigandas. Peſſima oppoſitæ ſententiæ conſectaria. Pag. 64

CAPUT VII.

Quid authenticæ Lectiones Scripturarum apud veteres Scriptores. Ex multiplici, quæ apud Criſtianos obtinebat olim, Editionum Bibliorum copia, & ex earum diverſitate, promiſcuoque ac ſimultaneo apud Patres uſu, ortam Lectionum quæ eorum reperitur in Operibus diverſitatem. Pag. 82

CAPUT VIII.

Sanctos Patres non ſolum in Commentariis ad Biblia, ſed & in Polemicis Lucubrationibus, & in Homiliis, ut ubicumque ſe Scripturas citare dicunt, ac oſtendunt, textubus, ſeu Verſionibus ac Editionibus adhæſiſſe ſuis. Specimen Lectionum ſacrarum apud Patres ab hodiernis diverſarum, quas cum nuper inventis antiquiſſimis Bibliorum Codicibus, & cum eorum Lectionibus mirifice conſonare obſervatum eſt. Pag. 112.

L I.

Digitized by Google

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

ENodantur eorum qui Veteres Scripturam temere citaſſe docent argumenta, ex methodo Patrum oratoria, exque teſtimoniis Veteris Teſtamenti ab ipſiſmet Apoſtolis arbitrario, ut ajunt, pronunciatis derivata. Pag. 133

CAPUT II.

Scripturarum admixtionem, quam Veterum Lectionibus objiciunt, uti additiones, ac omiſſiones, ipſis illorum temporum Codicibus, in quibus admixtiones Scripturarum illæ, additiones, ac interpolationes erant, eſſe tribuendas. Pag. 146

CAPUT III.

Primorum Sæculorum Patres, qui interpolatis vitiatiſque Scripturarum Codicibus uſi aliquando ſunt, a Joannis Clerici dicteriis vindicantur. Pag. 166

CAPUT IV.

Diverſitas Lectionis Capite I. Evangelii Joannis apud nonnullos Patres ac Veteres aſſeritur; exque poſitis principiis non temere & arbitrario contexta, ſed ab Exemplaribus nonnullis illorum temporum derivata oſtenditur, illuſtratur, confirmatur. Pag. 193

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

Quæ pro arbitraria apud Tertullianum laudati commatis Lectione feruntur argumenta ſolvuntur, enodantur, evertuntur penitus. Pag. 215

CAPUT VI.

Quibus de cauſſis factum, ut nonnulli cum Græci, tum Latini Evangeliorum Codices priore Capite Joannis, uſurpatam ab Irenæo, Tertulliano, Chryſoſtomo, Vigilio Tapſenſe, Auguſtino, & Joanne Damaſceno continerent Lectionem. Pag. 228

CAPUT VII.

Ex Lectione antiquiſſimi Veronenſis Evangeliorum MS. Codicis, quæ cum citatione Patrum conſonat, idoneum ſumi fundamentum, ut Evangeliſtæ verba eos ex Codicibus recitaſſe ſtatuamus. Pag. 249

CAPUT VIII.

Cl. Natalis Argonenſis, ejuſque Interpretis de Patrum citationibus ſententiæ, quibus in utraque Commentarii parte diſputata majori in luce collocantur, confirmantur vehementer, atque propugnantur. Pag. 257

DE

Digitized by Google

DE AUTHENTICIS
SACRARUM SCRIPTURARUM APUD SS. PATRES LECTIONIBUS

LIBRI PRIMI

CAPUT I.

Operis occaſio. Eorum ſententia, qui Patres Scripturæ teſtimonia memoriter, arbitrario, tumultuario, ſæpe ſæpius recitaſſe docuerunt.

QUum ſpecialiſſimum animadvertiſſem in Operibus Tertulliani locum, ubi nempe Joannis verba ex Capite primo Evangelii ita commemorat, *Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*, quæ Chriſto ejuſque generationi aſſerit; animum adjeci, cauſſam ut inquirerem, cur iſta Lectione uteretur; cumque eam haud ſemel offendiſſem etiam apud Irenæum, rurſus apud Auctorem Dialogorum de SS. Trinitate, qui Athanaſio tribuuntur; ad eandem demum alluſiſſe comperiiſſem alios Patres; in ſuſpicionem deſcendi, aliquam fuiſſe olim, innumeras inter quæ Hieronymi, & Auguſtini tempore in Eccleſia circumferebantur, uti anteriori etiam ætate, Verſionem, in qua verba Joannis illa ita efferrentur: quod commodum confir-

Digitized by Google

mare valui celeberrimo vetuſtiſſimoque Veronenſis Eccleſiæ MS. Evangeliorum Codice, in quo apertiſſimis conceptum verbis legimus: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*. Modum etiam adjeci, quo efformari Latino ab Interprete Lectio illa potuiſſet, etiamſi fontes, Græci nempe Codices, non aliam quam Vulgatam exhibuiſſent Lectionem: quæ tamen omnia pene ἀδοξάστως in apertum protuli. Sed placuit Amico omnium ſuaviſſimo Petro Barzano, Brixiano Presbytero, Linguarum peritia claro, ſuam ad me dare editam Epiſtolam, humanitatis & eruditionis teſtem, in qua meas omnes ea de re conjectationes oppugnat. Equidem fateor, ἀκριβῶς a Barzano diſputatum, niſi ſua inter argumenta illud etiam protuliſſet, Patres ſcilicet *memoriter*, *arbitrario*, *tumultuario* Scripturæ teſtimonia recitare ſolitos fuiſſe; ex quo colligeret, haud urgendam Tertulliani, Irenæi, Vigilii Tapſenſis, ſive Auctoris Dialogorum de SS. Trinitate, aliorumque auctoritatem; nec illorum ex Lectione inferendum, aliquam fuiſſe, vel infinitas inter quæ circumferebantur olim, Catholica probatam in Eccleſia verſionem, quæ illa ratione legeret; nullius demum ponderis habendum Veronenſem Codicem.

Potuiſſem, fateor, conjectationibus amici opponere conjectationes, ſuſpicionemque vindicare meam. Verum, quia de ceterorum utilitate magis, quam noſtris de aſſertis eſſe ſolliciti debemus; Opuſculum hoc, quo datum eſſet modo, concinnare ſtatui, ut tam periculoſum ſyſtema, venerationi, quam Patribus ac Traditioni debemus, adverſum, oppugnarem, authenticaſque eorum in Operibus vindicarem Scripturarum Lectiones.

Vacat jam vero eorum teſtimonia in medium proſer-

ferre, qui memoratam de illa Patrum methodo opinionem invexerunt, ne, non tam adverſus intemperantiores quoſdam, magni licet nominis, Criticos, quam adverſus Cl. Barzanum, pugnam committere videamur. Eorum verba recitabimus, de quibus Barzanus ita num. Epiſtolæ ſuæ III. *Si quotieſcumque*, inquit, *aliquem Scripturæ textum Patres recitant, eum, prout in Codicibus extabat, adamuſſim & religioſe repræſentarent; quod aliter ab aliis citatum invenimus, aliter quoque ab aliis lectum merito diceretur. Verum* " ad citationes quod attinet, *inquit Auctor Artis Criticæ*," duo ſunt animadvertenda; nimirum ſæpe Veteres ex memoria loca recitare; quo fit, ut ſynonyma ſynonymis facile ſubſtituant, & in ordine verborum nonnihil mutent. Deinde, eos ſæpe ſenſum potius quam verba ipſa proferre. Itaque varietas citationum non poteſt ſemper urgeri quaſi varietas Lectionis, quæ eſſet in Codicibus, quibus Veteres utebantur. *Vide Volumen II. pag. 391. ubi cautiones etiam, in eorundem Translationibus adhibendæ, tempeſtive ſubduntur. Eadem fere Bibliothecæ ſelectæ Tomo XVI. rei cauſſas inſuper attingens*: "Il y a peu de fonds à faire ſur ces pretendûes diverſes Leçons, tirées des anciens Peres. Ce n' eſt pas, qu' il n' y ait des occaſions, où ils paroiſſent plus textuaires, qu' en d' autres; mais il eſt bien difficile de donner des regles là-deſſus, parce qu' ils citent preſque toujours l' Ecriture *tumultuario*, par memoire, ou par accomodation. Outre le genie de ce tems-là, la raretè des Manuſcrits, & les conjunctures difficiles, où ces ſaints hommes ſe trouvoient, ne leur permettoit pas, comme a nous, d' avoir ſans ceſſe un Nouveau Teſtament devant les yeux, quand ils ecrivoient. Quæ quidem verba, tametſi in Clerici Bibliotheca legantur, Clerici ta-

Digitized by Google

men non ſunt, uti excidit Barzano, ſed Domini *L' Enfant*, cujus animadverſiones ad Novum Millii Teſtamentum in laudato Bibliothecæ Tomo edidit Batavus Excerptor.

Proſequitur Barzanus: *Eandem citandi rationem in Patribus, ſed tamen parcius, agnoſcit & Joannes Morinus; citationum, quas ipſi, divina referentes oracula, ſuis in Operibus adhibuerunt, a ſacro Bibliorum textu diſcrepantiam ſequentibus etiam cauſſis adſcribens; quod* " memoriter deſcribentes, dictionem dictio-
„ ne æquipollente permutaverint; aut ſenſum eadem
„ memoriæ cauſſa, de verbis parum ſolliciti, quod
„ tamen raro admodum contingit, ſectati fuerint; vel
„ quod verbis ſuis verba Scripturæ inſerentes, dictio-
„ num caſus, numeroſque, ut reliquo contextui ac-
„ commodarentur, nulla ſenſus jactura, mutaverint;
„ vel quod ſententiam, aut periodi membrum, quo-
„ niam ad cauſſam nihil conduceret, brevitatis cauſſa
„ omiſerint, quod ſane ab Eccleſiaſticis Tractatori-
„ bus, & antiquis, & neotericis quotidie præſtatur.
(De Hebræi Græcique Textus integritate Lib. 1. Exercit. 9. Cap. 4. num. 2.) *Eandem cantilenam reliqui doctiores Critici, quorum ſcripta quiſquis legat, nemo auſit dicere, ipſos illam Verſionum diverſarum copiam, aut ignoraſſe, aut ad eam nequaquam animum applicuiſſe, cum Scaligero canunt & Simonio. Inſtar omnium, ut hunc etiam proferam, Joannem Frickium habere poſſumus*, Commentationis Theologico-Criticæ, *quæ non multis ab hinc annis Ulmæ prodiit, Editorem. Hic ubi de Patrum allegationibus loquitur Cap. II. §. 21.*
„ multum ſibi, *ait*, haud raro indulgere priſcos Do-
„ ctores, aut memoriæ fiſos nimium, aut dicta plu-
„ ſcula commiſcentes in unum, aut cum gloſſis pa-
„ raphraſtice quædam ad ſcopum aut caput quæſtio-
„ nis

„ nis applicantes: aliter ac in Codicibus, quos forte „ non habebant ante oculos cum ſcriberent, reperie- „ bantur.... *Oratorum autem methodus, de ſervanda ſuis in Orationibus diligentia non valde laborantium, ardenſque adverſarios vincendi omni conatu propoſitum, ſi pariter in iis, qui primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, admittenda ſunt, in eorum etiam citationes interdum influere potuerunt. Hinc vitio vertitur ab aliquibus Joanni Millio, quod nimium Patrum allegationibus ſæpe tribuerit, aliter ut ſe gereret, eo cujus ſuaſu opus illud triginta annorum ſuſceperat, monente*: (Vid. Prolegomen. N. T. Millian.) *Hinc Brugenſis, teſte Simonio Diſſertatione Critica de MSS. N. T. Nicolaum Zegerium carpens atque accuſans*, " d' avoir établi peu judicieu- „ ſement de certaines leçons ſur des paſſages des Peres, „ où ils n'ont citè que le ſens de l' Ecriture, & non „ pas les propres termes, *addit*, qu'il n' eſt pas ſûr „ de prendre pour regle leurs citations: *ad remque tandem Maſſuetus, Erneſtum Grabium, eum ipſum, qui ex duobus, quæ affers, Irenæi, ac Tertulliani locis variam certo Lectionem adſtruit* (Irenæum nempe legiſſe ἐγεννήθη pro ἐγεννήθησαν, & Tertullianum, *natus eſt* pro *nati ſunt*) *præcipue ſugillans*, " quiſquis, *ait Diſſert. III. in Irenæi Libros art. 1. num.* 10. prudens eſt, „ & in Lectione Patrum tantillum verſatus, abſtinet „ ab ejuſmodi judiciis, ne temeritatis notam incur- „ rat.

Hucuſque Barzanus, magna, fateor, nomina ſequutus, qui & alia eandem in rem afferre potuiſſet, ſive eorundem, ſive aliorum teſtimonia. Clericus certe ubicumque de hoc agit argumento iſtud in medium pergit producere effatum; nam & Tomo XIX. Bibliothecæ Novo-Antiquæ pag. 388. de Epiſtolis agens Beati Ignatii Martyris, ita ſcribit: *Ce qu' il y a de fac*

Digitized by Google

heux dans cette conteſtation, c' eſt, que les citations des Peres ne s'accordent pas entierement avec les Exemplaires, que nous avons quels qu' ils ſoient. On doit neanmoins penſer la-deſſus, que les Anciens ne ſont pas exacts dans leurs citations, pour s' y fier, ſoit qu' ils citaſſent de memoire, ſoit qu' ils cruſſent, qu' il n'etoit pas neceſſaire d' exprimer les paroles; pourveu que l' on mit le ſens ſeul, qu' on le conçevoit. On pourrà s'aſſurer de cela, en liſant la Diſſertation d' Uſſerius, ou il compare les citations des Anciens avec l'etat, où eſt aujourdhui le Texte d'Uſſerius, dans les MSS. qui ſont venus juſqu' a nous. On peut voir encore la meme choſe, dans les citations du Nouveau Teſtament, par les Anciens, qui s' approchent & s' eloignent plus ou moins de nos Exemplaires MSS. comme feu Monſieur le Docteur Mill l' a montre' dans ſon vaſte recueil des varietez de Lecture du Nouveau Teſtament: aux quelles nous avons montre' qu' on pourroit ajouter un nombre conſiderable de citations, qui varient entr' elles; comme on le peut voir dans la Lettre, qui eſt a la tête de l' Edition du Nouveau Teſtament de Kuſter. Non igitur theſim hanc oppugnantes, aërem verberaturi erimus; quod maxime, præter laudatos celeberrimos Viros, modeſti etiam & laude digni Scriptores eadem in ſententia verſati videantur, Pritius Introductione in Lectionem Novi Teſtamenti; Natalis Argonenſis, ac Petrus Belheſtrus, de optima agentes legendorum Eccleſiæ Patrum methodo; Pfaffius in Diſſertatione de genuinis Novi Teſtamenti Lectionibus, quæ Stutgardiæ prodiit MDCCXX; aliique quorum in loco verba recitabimus, doctiſſimi Viri. Sed hac in re errant iſti profecto ac Critice abutuntur. Huic igitur tam falſo principio ſtatui occurrendum, ne apud leves homines cytius euro ſe ſe diffundat, ac pervadat

men-

Digitized by Google

mentes eorum, qui conſectaria non adeo facile rimantur. Quamquam enim concedere velimus, Patres interdum, ex Scripturis teſtimonium non dicentes, ipſis tamen uti Scripturæ verbis, eaque ad ſuum accomodare ſenſum; ſecus tamen ubi teſtimonium dicunt ex Scripturis; ubi ſe Scripturarum verba adducere oſtendunt; ubi diverſa Lectio, non ſolum verba, ſed maxime ſenſum mutat. Quare eos tunc memoriter deſcripſiſſe, dictiones dictionibus permutaſſe, Regulæ inſtar generalis, ac effati, in teſtimoniis quæ referunt dignoſcendis, certiſſime uſurpandi, nulla dicendum ratione eſſe demonſtremus, ceu periculoſum, uti innuebam, ſyſtema, veritati una ſolidiſque Artis Criticæ Canonibus, ſaniorum menti Scriptorum, Theologorum æque ac Interpretum methodo, Patrum denique ſapientiæ, eorum ſacras erga Scripturas jugi ſtudio, ac Traditioni contrarium prorſus, ac omnino oppoſitum principium.

CAPUT II.

Duo errata ab iis, qui Sanctos Patres temere Scripturæ teſtimonia recitaſſe ajunt; confundunt nempe hodiernos Codices cum Prototypis, & nullas admittere in noſtris Exemplaribus videntur, in ratione exprimendi, a prioribus diverſitates.

CL. Barzanus, ut meam de probata olim Lectione *natus eſt* in aliquo Codice Joannis, everteret opinionem, ſic ſcribit, num. Epiſtolæ ſuæ XXXV: *Excute quicquid Bibliorum ab ipſis Typographicæ artis*

 incu-

incunabulis hucuſque prodiit: Græcis Latina, & aliarum deinceps ex Greco Interpretationum, Exemplaria conjunge: utque compendio agas, percurre florem Ottbobonianæ Bibliothecæ, quem cum cetera æque multa & pretioſa Librorum ſupellectile, ſui erga Brixianos amoris monumentum ac pignus, comparavit Eminentiſſimus Princeps, Epiſcopus noſter Angelus Maria Quirinus: hiſque omnibus variantium adde Lectionum acervum, quas accurati Collectores hactenus congeſſerunt; adde, ne hoc quoque indictum abire ſinam, quædam medii ævi MSS. Evangelia, in tabulario principis in hac Urbe Eccleſiæ hoc anno detecta, & a pulvere ac ſitu, queis diu conflictata ſunt in latibulo, vindicata; nihil uſquam ſubſidii (nec diffiteris) invenies. Hac vero poſita, ut ipſe arbitratur, rerum omnium ſeu ſatietate, ſeu etiam hoc tempore inopia, actum novis de cogitationibus exiſtimat, ſuiſque cum Auctoribus, Tertullianum, Irenæum, ceteros, arbitrario locum citaſſe Joannis contendit; immo ubicumque noſtris a Codicibus SS. Patres diverſi ſunt, ipſos memoriter ac tumultuario Scripturas Sacras recitaſſe concludit.

Verum hac in re primum dignoſcere eſt erratum illorum omnium, qui abſona adeo verſantur in ſententia. Præconceptum ſcilicet habere videntur, Codices illos omnes, ſeu Latinos omnes ac Græcos hodiernos textus, qui a Lectionibus Patrum diſſonant, ab ipſis eſſe Autographis, ab ipſis eſſe veterum Hebræorum ac Apoſtolorum Codicibus deſcriptos, & cum illis eſſe confundendos. Hoc autem extra totius dubitationis aleam, & exploratum dici non velim. Celebris ille ac pietate præditus vir, Guido Michaël de Jay, qui Regiorum Bibliorum Editionem Lutetiæ curavit, ita de græco, ut ajunt, LXXvirali quem edidit Textu in Præfatione loquitur generali: *Ab eo tempore* (Origenis

genis nempe) *vix dignoſci poteſt quænam hac tempeſtate ſit vera ac germana LXX. Interpretum verſio, vel unde ad nos pervenerint qui hodie extant Contextus, videlicet Aldinus, Complutenſis quem ſequimur, & Baſileenſis; ut de Romano taceam, nam de eo non meum eſt judicare; nihil prorſus, ut vidi, affirmare audet conſultiſſimus Cardinalis, qui præfuit Editioni, Sixtinæ. Quæ quidem hactenus dicta, licet ad ſolum Teſtamentum vetus pertinere videantur, eadem tamen novo Fœderi accommodari debent, quod eadem lingua ad nos tranſmiſit Eccleſia; vel quod ab initio illa qua loquebatur lingua exaratum aſſervaverit; vel quod in græcum Idioma, quod facile crediderim, verti curaverit pridem, ut veteri LXX. Interpretum Teſtamento ſuperadditum, ſub unius Linguæ harmonia & ſono integra Biblia exhiberet.* Jam vero ſi opinioni quam veriſimiliorem autumat vir harum peritiſſimus rerum, ſubſcribere animus ſit, Eccleſiam videlicet, Novi Fœderis Libros Græcum in Idioma verti curaſſe pridem, ut veteri LXX. Interpretum ſuperadditi Teſtamento, ſub unius Linguæ harmonia & ſono Biblia integra exhiberent; conſequi quis inde non videat, hodiernos Codices non eſſe cum Prototypis confundendos, neque cum illis, quibus priorum Patres ſæculorum uſi ſunt; quare ex diſſonantia citationum quas adferunt cum hodiernis Lectionibus, inferendum minime, eos tumultuario, arbitrario, memoriter Scripturæ teſtimonia recitaſſe; quum eorum Lectiones ab hodiernis Codicibus diſſonæ, cum Prototypis tamen, ſeu cum Lectionibus deperditorum Codicum potuerint perfectiſſime conſonare?

Non inficiari arbitror Bibliorum Regiorum Editorem, Novi Scriptores Fœderis græco Idiomate uſos fuiſſe; ſed dubitare eum tantum cognoſcimus, an reliqui

liqui hac tempeſtate Contextus, eorumdem fœtus ſint, ac a primævis illis examuſſim derivati; ea profecto ipſa ratione, qua qui Matthæum Syro-hebraice ſcripſiſſe propugnant, negant adhuc tamen Hebraicum quod nunc habemus Evangelium Matthæi, illud idem eſſe quod ſcripſit Matthæus; qua de re Exegetici omnes fidem faciunt.

Antiquiores igitur fuiſſe Codices, quibus uſi ſunt primorum Patres Sæculorum, Codicibus ac Verſionibus, quibus inpræſentiarum gaudemus, opus profecto non eſt ut Lectorem doceam, quem hujuſmodi Quæſtiones primis ſaltem labiis deguſtaſſe præconcipio; quemque pro comperto habere non dubito, Hebraicos Veteris Inſtrumenti MSS. Codices omnium antiquiſſimos qui modo exſtant, ætatem haud excedere DCC. circiter annorum; Græcos autem, cum Veteris, tum Novi etiam Teſtamenti, MCC. annis non eſſe antiquiores, uti ſunt Exemplaria, Vaticanum, & Alexandrinum LXX. ſenum in Anglia ad-ſervatum: redolere vero fabulam, quæcumque ceu Epocha hac vetuſtiora feruntur monumenta. Imo perpauci ſunt MSS. Codices, qui tanta gaudeant antiquitate. Ridebat iccirco, nec immerito, Canus eos, qui Codices, ante annos ſexcentos deſcriptos, *fontes* ſimplicitate maxima appellabant (De Loc. Theol. Lib. II. Cap. 13.) Joannes Morinus, in Præfatione Bibliis Regiis præmiſſa, in qua de Codicibus Samaritani Textus abs ſe editis diligenter diſſerit, aliquorum æram ſibi fatetur ignotam prorſus; alterius Peresciani æram ad finem Exodi notatam tranſcribit, anno nempe Iſmaelitico DCXXIV. Chriſti videlicet MCCXXVII. Tertio de Codice in folio deſcripto hæc habet: *In fine Exodi varia ſunt notarice ſcripta, in quorum fine luculenter ſatis docetur, ſcriptum fuiſſe Damaſci*

Damaſci anno Gentium 967. Itaque ſatis recentem candide fatetur. Diverſum ſane fuiſſe Pentateuchi Samaritani Exemplar a Morino editum, ab Exemplari Pentateuchi Samaritani, quo uſus eſt Hieronymus, late Graveſonus oſtendit in Tractatu de Myſteriis & Annis Chriſti Diſſertatione V. Part. I. Quare optime animadvertebat Clericus Tomo Bibliothecæ Novo-Antiquæ XVI. pag. 406. *Si nous avions des MSS. de l' ancien Teſtament de deux mille ans, nous verrions, que les anciens Copiſtes Juifs n' ont pas moins varié entre eux, que ceux des Grecs, qui ont copiè le nouveau Teſtament. Mais comme l'Edition du nouveau Teſtament d' Alcalà de Henarè, a à peu prés fixè le Texte des Ecrits des Apotres, les Editions des Maſorethes ont fixè celui des Prophetes, depuis l'an M. comme il eſt aujourdhui.* Non loquar in præſens de Codicibus Hebraicis; quod, exceptis Origene ac Hieronymo, iis Patres uſi non ſint. Priorum ab hodiernis diverſitatem late oſtendunt Vindicationes ſyſtematis Maſchefiani. Nec loquar de Codicum Latinorum diverſitate ab Exemplaribus Latinis priorum Sæculorum, de qua vel Pueri audierunt, & de qua tandem erit ſermo. Satis fuerit animadvertiſſe, totam qua late patet Græcam Scripturam ſeu veteris, ſeu recentioris Teſtamenti non prorſus eandem, quod ad verba ſpectat, licet ipſiſſimam, quod ſpectat ad interiorem ac totalem, ut ita dicam, ſenſum, cum Bibliis græcis primorum temporum. Cur hæc perierint, infinitas præter cauſſas, quas quiſque imaginari poteſt per ſe, una etiam Diocletianæa Perſequutio ſacros adverſus Codices, ſufficientiſſima fuiſſe videtur ad omnia pene Volumina Sacra abolenda, maxime Evangeliorum: ſiquidem Joſephus Catalanus Lib. III. De Codice S. Evangelii, atque ſervatis in ejus Lectione & uſu vario ritibus,

bus Cap. XXXIX. ubi de Perſequutione agit Ethnicorum Cæſarum adverſus Chriſtianorum Codices, (de qua Euſebius Lib. VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 3. & Optatus Milevitanus) de Evangeliis narrationem explicat, non de ceteris Scripturarum Libris; *Nam*, inquit, *Optatus licet de univerſis Divinorum Librorum voluminibus loqui videatur; non diffiteor tamen intelligi potiſſimum de Evangelio debere: quandoquidem perſecutio non contra Hebræos, qui aliàs multa ſecum Veteris Teſtamenti habebant Volumina, ſed Chriſtianos excitata fuit, quorum præcipuus Codex erat Evangelium, iſtudque ſummo ſtudio proſequebantur*. Quod pluribus confirmat etiam monumentis. Itaque quod Patres Evangeliorum verba aliter recitaverint, atque in hodiernis ſeu Latinis, ſeu Græcis Codicibus habemus, non fuerit in cauſſa certe abſona eorum Scripturas memoriter ac tumultuario citandi methodus, ſed potius, quod citationes traxerint ex Editionibus, quibus hoc tempore caremus.

Demus tamen, hodierna Exemplaria a Prototypis fuiſſe derivata; inquirere erit adhuc tamen, an Amanuenſium ope, & ſolertia, iis omnibus adjectis quæ rerum integritatem tueri ſolent, ad nos uſque invariata potuerint aſſervari, ac nullo in apice, nullo in verbulo, quos habemus in præſens Contextus immutati fuerint atque interpolati. Neminem vero ſuſpicari velim, me criticis quibuſdam aut metaphyſicis ratiunculis Syſtema quoddam inducere nunc velle, quod Græcorum auctoritatem Codicum, aut etiam Vulgatam Verſionem pergat vel minimum labefactare. Non enim adeo deſipio. Illud tantum contendo, ubi motiva ſuſpicandi adſunt, ac idonea diverſæ Lectionis fundamenta, ubi maxime ſenſus Auctoris Sacri idem haud remanet, tunc nos evidenti nullo agi argumento,

Digitized by Google

to, verbulum ut aliquod, aut modum aliquem dicendi, poſterioribus quos habemus in Codicibus, vel Amanuenſium incuria, ac libertate Interpretum, nolimus immutatum. Viguit mox inter Criticos controverſia, an Biblia Sacra fuerint unquam a Judæis iniquo animo atque de induſtria depravata. Poſtquam enim Tridentini Decreto Vulgata Verſio fuit authentica declarata, ex noſtris plurimi ita pro ea decertarunt, ut non tantum aliis Verſionibus, ſed ipſis etiam fontibus præferendam eam eſſe pronunciarent; idque facilius ut exequerentur, defenderunt mordicus, fontes puros hodie non extare, ſed Judæorum iniquitate peſſima corruptos. Proteſtantium nonnulli ex oppoſito, in priore illo adverſus Vulgatam & Concilium furore, fontes illos ita labis puros ſtatuere, ut nec minimam litterulam adjectam, vel immutatam docuerint. Verum, ſedatis in præſens aliquantiſper animis, quis verorum ſobriorumque Sapientum in eam demum non deſcenderit ſententiam, ut non imprimis fateatur, Judæos quidem numquam ex induſtria Codices Sacros corrupiſſe (quamquam veriſimile ſit, ipſos, quum duplex ſe ſe obtulit legendi ratio, quarum una præ altera nobis favere videbatur, ob conceptum in Chriſtianos odium, eam quæ faveret nobis minus, elegiſſe); deinde non agnoſcat, plures errores atque nævos, haud minus ac ceteros in Libros, temporum diuturnitate, Librariorumque feſtinantium ignorantia ac ſocordia, in Sacros irrepſiſſe Codices? Reapſe ſi hodiernis in Exemplaribus nullæ mutationes; unde igitur erutæ tot variantes Lectiones (nam de hujuſmodi mutationibus loquor) unde tot menda, quorum examine ac narratione aures nobis quotidie obtundunt Critici ac Interpretes?

Veteris Teſtamenti Libros, ea qua ſeu ſcripti, ſeu reſti-

Digitized by Google

reſtituti fuerunt, Hebraica nempe Lingua, nobis Eccleſiam aſſervaſſe, nemo dubitabit. At quandoquidem nobis res eſt cum Barzano, cui tantum Maſcleſiana placent, adeo-ut nobis crimini nunquam expiando vertat, quod a Maſcleſo deſciſcere aliquando viſi ſimus; heic cum Barzano contra Barzanum Maſcleſiani eſſe volumus. Num arbitrari quis poterit, eos qui ad nos pervenerunt Hebraicos Bibliorum Contextus, examuſſim adeo ab autographis eſſe derivatos, nulla ut in eiſdem macula, nulla immutata fuerit Litterula? De anomaliis non loquar in præſens, quorum myriadas enumerant Hebraizantes Scriptores, Maſſorethici præſertim; nec de Chaldaiſmis ac Syriaſmis Hebraici Textus loquor, deque vocibus, in quibus Apocope eſt, in quibus epentheticæ Litteræ atque paragogicæ; ſed illis de nominibus ſermo nunc eſt, in quibus relate ad hodierna exemplaria, Librariorum cura deſideratur. Geneſeos XLIX. 11. invenis סותה *veſtimentum*. Te ipſum quovis obverte, coactus demum eris fateri dicendum כסותה, omiſſo כ per Amanuenſium feſtinantium inadvertentiam. Qui enim radicem eſſe dicunt כסה, ſuppreſſo כ, aliquod in medium proferre deberent (fieri quod profecto non poteſt) ſuppreſſionis ejuſcemodi exemplum; eademque ſunt in navi, qui vocem a סות deducunt. Qui ejuſdem Libri vocem XLIX. 10. שילה deducunt a שלה, ſubdunt ſtatim tamen, litteram י fuiſſe labe Librariorum inſertam. Numerorum XXXIV. 10. in verbo והתאויתם, inſertum ו poſt ſecundam radicalem, contra morem verborum לה, negare poteſt nemo. I. Sam. XXV. 8. Librarii *σφάλμα* videtur בנו pro באנו II. Paralipomenon XXXIV. 4. מזבחותים pro מזבחותם *altaria eorum*, י per errorem introducto. Iſaiæ XV. 5. quid illud יעערו? Nonne ſcribendum eſſet יערו? Ezechiel.

chiel. IX. 8. ונאשאר pro ואשאר & *relictus ſum*, נ per incogitantiam inſerto. Mich. I. 10. niſi Guarini conjectatio placeat in voce התפלשתי, Exſcriptoris errore ſuperfluum ת. Zachariæ V. 11. quum והניחה participium videatur *Hophal*, י profecto adverſus leges incautiſſime inductum. Licet vero Chaldæi ac Syri multis vocabulis ab Hebræo adſcitis inſerant litteram נ, Pſalmo tamen LXIV. 7. תמנו legimus pro תמו, ubi docemur נ per errorem poſitum potius pro מ, legendumque תממו. Similia plura adfert Maſcleſus capite citato. Quid foret, obſecro, ſi Maſſoretharum Amanuenſium indiligentia memoranda eſſet, ac menda colligenda? Quod ſi maxima Judæorum ſuos erga Codices Religio, ac mirabile in illorum Lectione inviolata efficienda adſervandaque ſtudium, aliqua avertere non potuit ab hodiernis Codicibus errata, adeo ut iſti a Prototypis diſcrepent: quid erit inde de Verſionibus, aut de ipſarum etiam Verſionum Interpretationibus dicendum, quas erga libertas major, minorque adhibita eſt cura? Quamobrem quæ noſtris uſui ſunt ſæculis Exemplaria, utique apographorum apographa, veteribus ab Editionibus diſtent aliquantulum neceſſe eſt.

Septuaginta Senum Verſionem, ea qua ſcripta fuit lingua, nobis, ſi velis, aſſervaverit Eccleſia; aſſereſne tamen inde, nullos nævos, nullas maculas, menda nulla, nulla denique inducta in hodiernos Codices Amanuenſium errata? Natalis Alexander Diſſertatione X. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi ſecundi, quærit, num LXX. Interpretum Editio, etiam ut nunc habetur, a præſtantiſſimis Viris auctoritate Sixti V. emendata, ſit ab omnibus Typographorum Exſcriptorumque erroribus libera? Negans vero reſpondet, & plurima adhuc in Sixtina Editione exſtrare

Li-

Digitized by Google

Librariorum menda evidentiſſime evincit. Melchior Canus, alterum ex Luminaribus noſtris, de Linguarum Hebraicæ & Græcæ utilitate, immo neceſſitate maxima diſſerens, id evincere ac probare conatur, ex debito quod Theologo incumbit menda corrigendi, quæ ex incuria Typographorum, aut eorum qui exſcripſere imperitia, Sacris Bibliis obrepſerunt. Legendus eſt Vir ſummus magna parte Libri de Locis Theologicis II. Quod ideo libentius monitum velim; quod nonnulli tantum Theologum inter gregarios illos enumerant, qui nimio Vulgatæ ſtudio fontibus detraxere. Ignorant illi videlicet, quo conſilio, quo fine Libros illos vir maximus ſcripſerit; ignorant, quid medullitus contineant. Nempe, tot lites de Religione occulte componere conabatur ingenio ſane acutiſſimo, ac admirabili judicio; quod recte animadvertit in Politica Bibliographia Naudæus, cujus teſtimonio, vix poteſt imaginatio conſequi, quantum Librorum Cani Lectione acui mentes Politicorum poſſint, excitarique ad ſaluberrime de rebus iſtis conſulendum, quibus non unius aut alterius hominis modo, ſed univerſæ plerumque Reipublicæ ſalus, & belli paciſque momenta continentur. Sed in Librariorum erratis tantum, hodiernorum Codicum a Vetuſtioribus diverſitas ponenda non eſt. Audiamus Dupinium in Diſſertatione Preliminari ſuper Bibliis Lib. I. Cap. IV. §. 5. ita de LXX. virali Verſione ſcribentem: *Il faut avoüer qu'il y a bien des differences entre le Texte Hebreu, & la Verſion des Septante, qui viennent de la corruption & de la confuſion, qui ſe trouvent dans la Verſion Grecque que nous avons. Il eſt certain, que l'on y a retouché pluſieurs fois, que divers Auteurs ſe ſont donné la liberté d'y ajouter, d'y retrancher, ou d'y corriger diverſes choſes, qu'il y en a eu dès les premiers ſiecles de*

l'Egliſe

l' Egliſe des Editions differentes ; que l' on y a inſerè des corrections tirées de la Verſion de Theodotion , & meme de quelques autres ; c' eſt ce , qui a fait dire avec raiſon a Saint Jerome , que dès ſon temps la Verſion des Septante n' etoit plus nulle part dans ſa puretè . Après cela il ne faut pas s' etonner , que cette Verſion ſoit en pluſieurs endroits differente du Texte Hebreu , & qu' un meme mot Hebreu y ſoit quelque fois interpretè en differens ſens : cela ne peut venir que de la confuſion qui a etè faite de deux Verſions differentes , où de ce qu' une varietè de Leçons , qui etoit a la marge , ou dans le Texte entre deux crochets , y eſt demeurée avec celle , qui y etoit deja . Jure heinc ac merito ſcribebat Auguſtinus Epiſtola ad Hieronymum decima : *Ac per hoc plurimum profueris , ſi eam Græcam Scripturam , quam LXX. interpretati ſunt , Latinæ veritati reddideris , quæ in diverſis Codicibus ita varia eſt , ut tolerari vix poſſit ; & ita ſuſpecta , ne in Græco aliud inveniatur , ut inde aliquid proferri , aut probari dubitetur.* Omitto quæ ex Hieronymiana erui poſſunt Hebraicarum Traditionum Collectione , vel quæ diſcrepantias Codicum LXX. ſui temporis ab Hebraica veritate recenſebant . In Græcorum certe Bibliorum Editionibus utebantur Grammatici notis, de quibus egit Epiphanius. Incertum , an omnes ad Canonum præſcriptum . Facile erat nonnullos ab eiſdem recedere. Fatetur hæc omnia Joſephus etiam Blanchinus , Vir Cl. in Epiſtola ad Antonium Franciſcum Gorium, edita Tomo I. Vindiciarum Sacrarum Scripturarum Vulgatæ Latinæ Editionis , ſeu veterum Sacrorum Bibliorum fragmentorum , juxta Græcam Vulgatam , & Hexaplarem Latinam antiquam Italam &c. Quamvis & in eadem, & in ceteris editis Epiſtolis contendat doctiſſi-

mus idem Blanchinus, Latinam LXX. Verſionem, ita fuiſſe a Hieronymo emendatam, ut nihil deformitatis amplius exhiberet. Verum, ut de SS. Patribus præſertim loquimur antehieronymianis (orta enim Quæſtio eſt ex Lectione Irenæi ac Tertulliani) ignorat nemo, Hieronymianos labores non ſtatim plauſum conſequutos, ac univerſim receptos. Denique, ut-ut deformitates abſtulerit Stridonenſis, haud negandæ diverſitates tamen inter Editionis ejus, & ſubſequutorum inde, & noſtrorum temporum Lectiones; quas imo Variantes idem Blanchinus ſuiſmet Editionibus confirmavit, præſertim divina illa eodem in Tomo edita Bibliotheca, ſeu variantibus Lectionibus Veteris Teſtamenti, juxta hebraicam veritatem translati, & Novi, Græcæ fidei redditi a S. Hieronymo, emiſſis olim in lucem ex antiquiſſimo Codice MS. Toletanæ Eccleſiæ, ad Lugdunenſem Editionem collatis ab Chriſtophoro Palomares.

Non multa verba de diverſitate faciam inter noſtros Evangeliorum Codices, eoſque, prioribus qui circumferebantur ſæculis. Divus Gregorius Magnus Libro Moralium XX. Cap. 23. explicans comma illud Scripturæ, *mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi*, ita ſcribit: *Longe ab hac ſententia vetuſta Translatio diſſonat; quia quod in hac de Deo dicitur, hoc in illa de Adverſariis ac Perſecutoribus memoratur. Sed tamen quia hæc nova Translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfudiſſe perhibetur; credendum eſt quicquid in ea dicitur: & oportet, ut verba illius noſtra expoſitio ſubtiliter rimetur.* Eadem maxima diverſitas confirmari tot Variantibus poſſet, quæ apud eos reperiuntur Latinos Patres, qui Commentaria in Libros Sacros concinnarunt. Plurimas collegit Ro-

bertus

bertus Stephanus, & in margine Editionis ſuæ Novi Teſtamenti collocavit. Contentus ero heic exſcribere, quæ diligentiſſimus Calmetus, in ſua de Vulgata Diſſertatione, habet de MS. Corbejenſi Evangeliorum ſat vetuſto, in quo & Italæ veteris Lectiones contineri ſuſpicatur. Ita enim ille: *In Libro quatuor Evangeliorum, cujus varias Lectiones dedimus ad calcem noſtri Commentarii in Apocalypſim, plura occurrunt non levis ſane momenti variantia, quæ pariter in vetuſtiſſimis Græcis MSS. recurrunt. Ita e. g. Matthæi* xx. 28. *legitur*: " Vos autem quæritis de puſil-
„ lo creſcere, & de majore minores eſſe; intrantes
„ autem & rogati ad cœnam, nolite recumbere emi-
„ nentioribus locis, ne forte clarior te ſuperveniat,
„ & accedens qui te vocavit ad cœnam, dicat tibi:
„ adhuc deorſum adſide; & confundaris. Si autem
„ in loco inferiore recubueris, & ſupervenerit humi-
„ lior te; dicit tibi qui te evocavit ad cœnam: Ac-
„ cede adhuc ſuperius; & erit hoc tibi utilius. *Poſt S. Matthæum ſuccedit Evangelium Sancti Joannis, ubi variantia non levis momenti; e. g. diſcrepat hiſtoria mulieris adulteræ, in verbis tamen, quamquam reipſa congruit: Cap. XXI.* 22. *legit*: " Si ſic volo eum
„ manere, donec venio; quid ad te? . . . . 25. . . .
„ Sed volo manere, donec veniam; quid ad te? *Excipit Evangelium S. Joannis S. Lucas, vel Lucanus; ita enim MS. Inter variantia plurima, animadverſione pariter dignum eſt illud duorum Diſcipulorum iter habentium ad vicum* 60. *ſtadiis a Jeruſalem; alterius nominis exprimit Cleopham, alterius Emaum; quod Pagi nomen, viro collatum Amanuenſium incuria videtur. Fateamur tamen oportet, hanc Lectionem vetuſtiſſimam eſſe; quippe quam ſequitur non ſemel in ſuis Operibus Sanctus Ambroſius.* Hucuſque Calmetus ex

Digitized by Google

Interpretatione Lucenſi, quæ profecto vim textus non habet; & ita labefactatus in ea Calmeti ſenſus eſt, ut in ſuis Operibus vitiavit Calmetus ipſe Criticos Sacros. Sed hæc natura eſt noſtrarum Verſionum. In hac Editione Lucenſi Variantes non video, quas memorat Calmetus, ad calcem Commentarii Apocalypſis. Qua de re dolebunt omnes boni. Interim nolens Interpres dixit quantum ſatis erat. Si quis laudatorum Criticorum vidiſſet Matthæi verba ab aliquo Patrum relata, uti laudato in Codice, quo cum plures alii Græci adhuc certiſſime conſentiunt; conſequeretur ſtatim, Patrem illum, ſenſum expreſſiſſe coniiciendo, exiguamque verborum rationem habuiſſe. Falleretur ille tamen, quum exſtent adhucdum Codices, aliter atque noſtri, legentes. Sapienter diſſerit hac in parte Dupinius, Diſſertatione ad Biblia Præliminari Lib. II. Cap. 4. ubi ait: *La Lecture du Nouveau Teſtament etant encore plus neceſſaire a tous les Chretiens, & en general & en particulier, que celle de l' Ancien, il ne faut pas douter, que dés le commencement de l' etabliſſement des Egliſes d' Occident, on ne l' ait traduit, & lù communement en Latin dans les Egliſes Latines. Comme le Grec etoit neanmoins aſſez commun, pluſieurs ſe soné mélez de le traduire, ou d' ajouter, ou de changer aux Traductions deja faites. Cette multiplicitè & varietè des Verſions Latines de l' Ecriture Sainte, atteſtée par Saint Jeróme, & par Saint Auguſtin, etoit beaucoup plus grande dans le Nouveau, que dans l' Ancien Teſtament; comme la varietè des citations des Peres* (quod notandum velim) *& des anciens Exemplaires Latins le font connoitre. On ne peut donc pas douter, qu' il n' y eût une Verſion plus commune, que les autres appellée l' Italique, ou la Vulgate: mais les Exemplai-*

xemplaires de cette Verſion même etoient ,& ſont encore ſi differens, que ce ſont preſque autant de Verſions differentes. Le Pere Martianay nous en fournit un exemple dans l' Evangile de Saint Matthieu, qu' il nous a donnè depuis peu ſur deux Manuſcrits anciens de huit cens ans : car il y a tant de difference entre ces deux Manuſcrits , que ce ſont preſque deux differentes Verſions, & ſi on les compare avec la Verſion du Manuſcrit de Cantbrige, & avec les citations des Peres anciens , on y trouvera quantitè de differences par tout. Si l'on confere auſſi la Verſion Latine des Epitres de S. Paul, qui eſt dans le Manuſcrit de la Bibliotheque du Roy, & dans celui de l' Abbaïe de Saint Germain des Prez, avec le Texte qui eſt dans les Commentaires de l'Ambroſiaſtre & de Pelage, on y trouvera beaucoup de difference. Uno in teſtimonio vides & Editionum antiquarum diverſitatem, & celeberrimi Scriptoris mentem, pro comperto habentis, Veteres *Textuarios*, ut ita dicam, certiſſime fuiſſe, ſive Scripturarum citationes ex eiſdem Editionibus ſumma integritate mutuaſſe. Infinita adduci in medium poſſent diverſitatis ejuſmodi teſtimonia. Laudatum tamen ſpecimen ſufficiat, ut illud animadvertat Lector, quod minime animadverterunt, qui Patres tumultuario, arbitrario, memoriter Scripturas recitaſſe docuerunt. Si enim in mentem revocaſſent, Exemplaria hodierna a prioribus in enunciandi ratione diverſa eſſe, inque noſtris Codicibus plurima eſſe menda quæ in Prototypis utique non comparebant, multaſque vel in reliquis veterum Editionum fragmentis comparere a recentioribus diverſitates; haud certe inferendum docuiſſent, non adeo fidendum diverſis Lectionibus, quas Patres antiqui ſuppeditare videntur, noſque malis avibus colligere, eos aliter quam nos legiſſe, quia aliter citaverunt.

verunt. Cur enim, obſecro, id aſſerunt; niſi quia eandem ſemper credunt prope fuiſſe Bibliorum Verſionem; & quia diverſitatem, cum inter ſe ſe, tum a noſtris etiam Editionibus, Veterum Codicum putant fuiſſe nullam? Sed de his iterum in loco.

CAPUT III.

Alterum eorum erratum, qui Veteres in citandis Scripturarum teſtimoniis nullam habuiſſe coniiciunt verborum rationem; præconcipiunt nempe, Variantes omnes ſat in præſens eſſe notas ac vulgatas.

NOn videram, fateor, Veronenſem Codicem, neque aliquid de eo audieram, quum primum Tertulliani loco explicando animum applicui. Illo demum antiquiſſimo Sacræ vetuſtatis monumento, in quo Tertullianæa Lectio conceptiſſimis verbis exprimitur, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt*, gaviſus vehementer fui, opinionem confirmari meam; ex aliqua ſcilicet incomperta nobis Editione aut Verſione Patres teſtimonia accepiſſe aliquando Scripturarum, quæ cum Editionibus noſtris minus conſonant. Expertus igitur fui quod Tomo Bibliothecæ Novo-Antiquæ XV. pag. 318. edocuit Clericus: *Il s'eſt trouvé, qu' il y a eu beaucoup des conjectures inutiles & fauſſes, dés qu' on a mieux conſultè le MS. Cela eſt arrivè plus d' une fois, lorſque l' on a decouvert d' anciens Exemplaires; ils ont fait voir que les Conjectures les plus apparentes etoient entierement fauſ-*

Digitized by Google

fauſſes. Mais d'une autre cotè, il y en a, qui ont etè confirmées par le MS. Quum viderem vero, ab aliquo obiici adhuc poſſe ſolitudinem MS. Veronenſis; objecto illi occurrendum duxi, his prope procul verbis. Fateor ſane, hac recentiori de Lectione, ipſum apud Evangelium, ſeu in Codicibus Joannis, nil ſubodoratos eſſe Criticos Sacros, nil Cornelium a Lapide, aut Eſtium in difficiliora Scripturæ loca, nil Millium, aut Waltonum Tomo V. Polyglottæ, Calmetum, pervios alios Exegeticos quos conſulere potui; veterem imo continere exhibereque Lectionem celebriores rarioreſque Sacrorum Bibliorum Editiones. Ex hoc tamen inferendum adhuc negavi, Tertullianum, Irenæum, Tapſenſem non deſumſiſſe Lectionem *natus eſt* ex aliqua Editione; nec enim nota adhuc omnino eſſe, aut eſſe potuiſſe omnia Veterum Exemplaria: nam nec Lectionem, qua de agimus, ſive Veronenſe MS. citatum nos videre ab allatis Collectoribus; nec omnes omnia legiſſe, omnia præ manibus habuiſſe, omnia in examen revocaſſe, omnia, quantum ſatis erat, definire valuiſſe. Eruimus heinc, facilem nimis præcipitemque adeo fuiſſe Pamelium, qui, hunc dum interpretaretur Tertulliani locum, omnes MSS. Codices, Exemplaria omnia Latina, Patreſque omnes legiſſe ſtatuit, *ex Deo nati ſunt*. Prudentius facere diximus, qui a magiſtralibus hiſce, ut ita dicam, ſeſe abſtinent enunciandi modis. Addidimus ex Clerico in Bibliotheca Novo-Antiqua Tomo IV. pag. 63. *Le P. Montfaucon, qui, dans ſa Paleographie Grecque, avoit temoigné, qu' il n' avoit encore vù aucun MS. qui eút eté apportè du mont Athor, fut ſurpris en trouvant, que preſque la moitiè des MSS. Grecs, qui ſont dans la Biblioteque Coisliniennе, avojent etè apportez*

des Monaſteres de cette fameuſe montagne.

Poſt hæc quæ dixeram, videbatur Cl. Barzanus temperare debuiſſe a renovando hujuſmodi objecto, quod tamen urgere perſtitit, uti vidimus, dicendo; quod, etſi quicquid Bibliorum ab ipſis Typographicæ artis incunabulis hucuſque prodiit, excutiatur, nihil uſquam ſubſidii inveniam. Quid hoc vero aliud eſt, niſi imaginari perperam, Variantes omnes ſatis jam notas ac vulgatas eſſe, omnia MSS. eruta, nullas veteres Editiones deperditas, omnia præ manibus eſſe, nihil jam reliquum, quod ad Antiquitatem Sacram illuſtrandam inſerviat, poſſe eruderari? Quæ tamen omnia videt quiſque per ſe quam ſint falſiſſima; qua ex peſſima conſequutione eruatur etiam, SS. Patres, ubi teſtimonia Scripturæ recitant, quorum verba ac phraſes cum Editionibus noſtris, aut editis Variantibus non conſonant, de ſenſu potius Spiritus Sancti, quam de Verſione ſaltem aliqua, qua uterentur, ſollicitos dici poſſe, ac debere.

Ut autem primum adpareat, quam inane ſit illud cogitatum, exſcribam hoc in loco quæ celeberrimus Marchio Maffejus in Præfatione ſua habuit ad Complexiones Caſſiodorii, quas e vetuſtiſſimis Canonicorum Veronenſium membranis primus eruit, atque elaboratiſſimis Adnotationibus illuſtratas emiſit. *Sermonem habueram*, inquit Vir Cl., *cum amicis non ſemel de Itinerariis Italicis, ſive de libellis iis, quæ in unaquaque Civitate rariora, & obſervatione magis digna habeantur, recenſentibus, quibus inſtrui, &, ſumma fide adhibita, uti ſolent, quicumque fere ab externis Provinciis ad Italiam peragrandam ſe conferunt. Oſtendebam, quantum in eo ſcriptionis genere non imi tantummodo ſubſelii homines, ſeque ut-plurimum exſcribentes invicem; ſed ipſi quandoque peccaſſent ſummi,*

mi, & literati Viri, vel diverſam admodum a vero rerum ſpeciem exhibentes, vel putantes, poſſe quemquam, diebus paucis in urbe aliqua ſubſiſtentem, quorumcumque, quæ notatione digna in ea ſunt, notitiam aſſequi. De Verona præſertim noſtra cum verba facerent, cum hallucinatos eſſe declarabam non uno loco; tum multa ab iis prætermiſſa memorabam, quæ in primis deſcribenda erant, & celebranda. Ut enim eorum quidpiam attingam, quæ majori ſtudio ab iſtis explorari ſolent; nemo unus Comitum Bevilaquarum cimelia, aureo XVI. ſæculo collecta, & præclare collocata, ac diſpoſita, nominavit umquam; etiamſi inter illa, præter eximias pictas tabulas, aereas imagines, MSS. Codices, & excuſos, quod in his rebus primas tenet, L: circiter vetuſta e marmore ſimulacra numerentur, Auguſtorumque tam certæ ac præſtantes protomæ, ut Romæ quoque, nedum Veronæ, ſpectanda, & magnifacienda ſupellex haberi poſſint. Addebam tamen, non tam in his omnibus viaticorum hujuſmodi largitores, externos fere omnes, culpandos eſſe; quam incuriam noſtram, deſidiam, dicam ne? inſcitiam etiam quandoque noſtrorum hominum, ac ſtuporem, quorum plurimi, cum præclariora quæque, ad rerum præſertim, ac temporum notitiam ſpectantia, aut ignorent, aut rideant; ut, quæ præ manibus habemus, innoteſcant, ab extremis finibus veniant neceſſe eſt, qui perquirant, qui illuſtrent. Quæ poſteriora amplificatione maxima indigerent, niſi noſtra cum gente res eſſet, quæ profecto nec ſua vitia ferre poteſt, nec remedia. Certum igitur, infinita prope eſſe abſcondita ac ignota, nec omnia viſa, nec omnia perſpecta, vanumque eſſe negativum argumentum, vi omni videlicet deſtitutum, quod hocce in genere faciunt aliqui: Nulli proſtant, nulli adferuntur Codices, qui Scripturarum verba, uti

uti Patres referunt, in Variantibus exhibeant; itaque nulla fuit umquam Editio, quæ more Patrum legeret, aut nullam habuere Patres verborum Scripturæ Sacræ rationem.

Quam pretioſum, vetuſtiſſimumque ſit Evangeliorum Exemplar MS. quod in Brixiano nobiliſſimarum Virginum Sanctæ Juliæ Monaſterio adſervatur, late oſtendit Cl. Abbas Philippus Garbellius in Epiſtola ad Joſephum Blanchinum Veronenſem, quam iſte publici juris fecit primo Veterum Sacrorum Bibliorum fragmentorum Tomo. Exemplar illud pretioſiſſimum ex antigraphis illis manaſſe arbitratur Garbellius, quæ non ſolum Hieronymi tempora, ſed Hilarii Pictavienſis præceſſerunt; quum facies ipſa, tum loci aliquot, quos diligentiſſime excuſſit, id manifeſtiſſime evincant. Hujuſmodi Codicem tamen neglectum & ignoratum adhuc, dolet eadem in Epiſtola hiſce verbis Cl. Vir. *Codicem iſtum, ad hæc uſque tempora, Criticorum Sacrorum nemini inſpectum fuiſſe, certe a nullo ſtudiis adhibitum, illud argumento eſſe poteſt, quod inter tot alios ab iis memoratos, unde Variantes hauſerunt, ne unum quidem videas, qui aliquam inde protulerit. Solus, quod ſciam, Paulus Galleardus Cl. concivis meus, unam & alteram nobis exhibuit in elegantiſſima Editione Operum Gaudentii; quam profecto auctiorem multo, præſtantioremque erat nobis daturus, ſi non alieno arbitrio uti, ſed ſuo, edere opus egregium, non feſtinare debuiſſet. Mabillonius ipſe, in itinere quod per Italiam inſtituit, cum Brixiam inviſeret, omnes haſce vetuſti ævi reliquias clam habuit, nemine e noſtratibus facem præferente. De quo equidem inter amicos ſæpe eram queſtus; quod non has etiam, una cum tot aliis Urbium clariſſimarum, immortalibus ſcriptis commendaſſet Poſte-*

Digitized by Google

ſteritati. Verum nunc tandem egregie actum nobiſcum video, ne omnem antiquitatum noſtrarum memoriam deberemus externis ingeniis; & quam in uno Matthæi textu ab altrice Litterarum, atque Artium Gallia olim accepimus, hanc illi Italia noſtra, & quidem cum fœnore, ut aliquando gratiam rependat. Profecto, ſi quis perlecto Itinere Italico Mabillonii, animadverterit, ipſum, laudatis Brixianæ Urbis ædificiis, teſtari, nihil ſe pro ſtudiis ſuis eadem in Urbe inveniſſe; nonne jure ac merito inferre poſſe videretur, nullum eſſe ibidem revera MS. Sacrum, nullum Evangeliorum Codicem? Itaque aliquem apud Patrem Evangelii teſtimonium inveniens, uti in Exemplari exſtat MS. S. Juliæ, illud diceret arbitrario a Patre illo excogitatum. Utrumque profecto falſum; quod e principio non vero ratiocinaretur; Variantes nempe omnes ſat in præſens notas, editas, ac pervulgatas eſſe. Admirationem omnium rapuit Flaminius Nobilius, quum in Adnotationibus ad LXXviralis Interpretationis Verſionem, quam edidit, tot adtulit veterum Lectiones Patrum, ratione exprimendi inter ſe diverſas, quæ cum adhuc reliquis vetuſtiſſimis Codicibus conſonabant. Quot, poſt Flaminii labores, inventæ rurſus atque editæ LXXviralis Interpretationis Variantes! Quot comparent in Editionibus Lamberti Bos Franequerenſis Profeſſoris, & Joannis Jacobi Breitingeri! Quot in laboribus Montfauconianis, qui & in PræliminaribusadExaplarem ſuam,non omnes adhuc tamen Variantes edidiſſe ſe ſinceriſſime faſſus eſt! Caremus plurimum hiſce in Regionibus Editionibus Græcis Novi Teſtamenti Stephani Courcellæi. Quot earum in margine feruntur variantes! Fragmenta pretioſiſſima, in lucem nuper emiſſa a Cl. Blanchino, moxque emittenda, nemo ſane noverat. Revocabit

ille

Digitized by Google

ille in dias luminis auras, typis videlicet conſignabit vetuſtiſſimum Exemplar Veronenſe Evangeliorum. Tunc non amplius ignorabitur Lectio apud Joannem *natus eſt*; quodque novum erit, fiet tandem canum, & fortaſſe tritum; quique Syllogas Variantium poſtmodum concinnabunt, hanc etiam memorabunt Lectionem, unde evaneſcat tandem admiratio.

Haud mirum igitur, quod Millius, Waltonus, ceteri, de illa ne verbum quidem dixerint. Falſiſſimum ſane argumentum; ceu Variantes omnes illi retuliſſent. Clericus in Excerpto Tomi I. Editionis LXX. ab Grabio illuſtratæ, Tomo Bibliothecæ Novo-Antiquæ XX. pag. 31. de Variantibus loquens, ab iſto recenſitis, a Waltono prætermiſſis, hæc habet: *On auroit pu dire, que cela n'etoit pas neceſſaire, puiſqu' on avoit deja fait imprimer les Variétez dans la Polyglotte d'Angleterre. Mais il repond, que les Varietez n'y ont pas été bien rapportées; ſoit par la faute des Imprimeurs; ſoit par celle du Docteur Huiſs, qui ne les avoit pas copiées aſſez correctement.* Et pag. 59. *Il produit un Catalogue des Leçons du MS. Alexandrin, qui ſont fautives, ou omiſes dans la Polyglotte de Londres, & qui ſont en tres-grand nombre.* De III. vero agens Codicis illius parte hæc iterum idem Scriptor; *Dans les Prolegomenes de ce Volume, on y trouvera les Varietez de Lecture du MS. d'Alexandrie, qui ont été omiſes, ou mal exprimées dans la Polyglotte de Londres.* Quare & Simonius, Diſſertatione de MSS. Novi Teſtamenti pag. 61. *Avant que nous euſſions connoiſſance du MS. d'Alexandrie, qui eſt en Angleterre, & qui s'accorde ſi ſouvent avec notre Verſion Vulgate, il ſembloit, qu' il y eût lieu de rejetter pluſieurs Leçons de l' Exemplaire de Cambrige, les quelles ſont preſentement confirmées par l' Alexandrin.* Denique

pag.

Digitized by Google

pag. 247. ejuſdem Tomi ſcribit Clericus : *Les LXX. ont traduit ſans aucun ſens raiſonable , ſel·n le MS. Romain : οὐ καλὸν . Mais ſelon l' Exemplaire d' Alexandrie, il y a , οὐκ ἄλλος . La differente Lecture de ce MS. a été omiſe , dans la Polyglotte de Londres .* Si adeo pretioſi Codicis quem Angli poſſidebant , poſſidentque , tot omiſſæ Variantes; quo jure quæras in Opere Waltoni Lectiones omnino omnes Codicum Evangelicorum ?

Quid ? quod idem ille Grabius , qui ſe locupletiorem credidit Waltono , inopiæ cognitionis veluti poſtulatur , relate ad nonnullas Lectiones ſacras ; quod nempe veteres quaſdam ignoraverit Scripturarum Verſiones . Chriſtianus Benedictus Michaëlis Epiſtola ad Lacrozium , quæ CCXXI. eſt Tomi I. Theſauri Epiſtolici Lacroziani , hæc ejuſmodi de re ſcribebat : *Obſervavi, complura Grabium in erratis poſuiſſe & expunxiſſe , quæ tamen ſic , ut ille in Alexandrino Exemplari ſcripta repererat, etiam ab Æthiopico Metaphraſte lecta fuerunt; quem ſi conſuluiſſet , retenturus fuiſſet , opinor, non pauca quæ rejecit ; quippe quæ dudum a priſco jam tempore in Alexandrinis Eccleſiis ſic lecta fuiſſe, Æthiopis concentus docet .* Equidem, ſi veteres Orientales Bibliorum Verſiones calleremus , Æthiopicas nempe , Ægyptiacas , ceteras ab Exemplaribus olim Græcis derivatas ; clarius haberemus lumen, unde dignoſci poſſet, Sanctorum Patrum Lectiones, quas arbitrarias dicimus , ejuſmodi non eſſe, ſed ex oppoſito, etiamſi a noſtris diſſentiant, cum veteribus tamen conſenſiſſe Editionibus. David Wil-Kinſius in Epiſtola ad Lacrozium data , quæ CCCXVI. eſt Tomi I. laudati Theſauri Lacroziani , de Præfatione ſua agens ad IV. Evangelia Ægyptiaca, inter cetera, ſe in illa egiſſe fuſe ſcribit de hu-

hujuſmodl, ut ita dicam, authenticis Variantibus. *Loca*, inquit, *Novi Teſtamenti a Patribus V. priorum Sæculorum allegata conquiram, quæ cum Verſione*(Ægyptiaca) *concordant, & a communi Græca recedunt*. De veteribus Novi Teſtamenti Verſionibus agere inſtituerat Lacrozius, ut ex Theodori Haſæi Epiſtola eruitur ad ipſum data. Neſcio an promiſſa ſolverit. Illud certum eſt, horum inopiam monumentorum, ignotas videlicet adhuc eſſe multorum Codicum Lectiones, in cauſſa eſſe, cur Patrum de citationibus indecora adeo levitate judicemus. Millius, fateor, infinitas prope collegit Patrum citationes, ſeu Lectiones; qua in re nimius etiam fuiſſe videtur, citationes arbitratus, quæ alluſiones tantum erant aliquando, apertiſſimæ Paraphraſes, aut ſtylus tantum, ut ita dicam, Scripturalis. Verum abeſt adeo, ut omnes recenſuerit, ut ita ejus de labore ſcripſerit demum Clericus Latina in Epiſtola, quam ea de re edidit, inſeruitque Tomo Selectæ Bibliothecæ XVI. *Vir doctiſſimus; in Prolegomenis, antiquiores quoſque Patres Græcos & Latinos recenſet, oſtenditque quænam variæ Lectiones ex iis hauriri queant. Qua in re laborioſam ſane & diligentem operam curioſis ejuſmodi rerum navavit. Verum ut minime exhauſerit quod in hanc rem dici potuerat, nec in variis Lectionibus textui ſubjectis omnia adnotarit; nihil vetat, imo conducit, in lucem ab eo omiſſa proferri, ut paullatim, plurium ſtudio & labore, poſſit variarum Lectionum Novi Teſtamenti collectio ad perfectionem adduci*. Plurimas heinc Methodii atque Optati Lectiones a Millio omiſſas adnotat idem Clericus, quas, invitus licet, cum Codicibus, qui ab hodiernis diſcrepant, conſonaſſe fatetur. Non omnem ſcrutandi materiam, relate ad Textum Sacrum, Criticis a Cl. Millio præreptam eſſe e-

vin-

Digitized by Google

vincit Ludolphus etiam Kuſterus in Præfatione ad Millianam Novi Teſtamenti editionem ; poſt quam Chriſtophorus Matthæus Pfaffius de Variantibus Novi Teſtamenti Lectionibus iterum egit. Quin & Tomo Anecdotorum Græcorum III. quæ ex Codd. MSS. in lucem princeps edidit Joannes Chriſtophorus Wolfius Hamburgi, collationem habes IV. Evangeliſtarum cum duobus Codd. MSS. Evangelia IV. tantum exhibentibus, ubi & Lectionum exſtant Varietates , ut Collector monet, a Millio minus obſervatæ. Quid mirum igitur, quod Lectionem etiam Millius omiſerit Tertullianæam ? Ignoravit Ille MS. Veronenſe ; quod unum in cauſſa eſt, cur eam non retulerit. Hujuſmodi Codicum ignoratio, vel apud doctiores Criticorum filios, ſimilium erratorum origo eſt , fuitque ſemper. Ne a propoſito divertamus: Euſebius Libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 36. de Citatione agens Evangelii quam in Epiſtola Ignatii ad Smyrnæos reperit, eaque a Vulgatis Codicibus diverſa, mirari viſus eſt. Ita ille ſiquidem : ὁ δ' αὐτὸς σμυρναίοις γράφων, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται τοιαῦτα τινα περὶ τοῦ χριστοῦ διεξιών· ἐγὼ δὲ καὶ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ, πιστεύω ὄντα. καὶ, ὅτε πρὸς τοὺς περὶ πέτρον ἐλήλυθεν ἔφη αὐτοῖς. λάβετε, ψηλαφήσετέ με καὶ, ἴδετε, ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον. *Idem* (Ignatius) *in Epiſtola ad Smyrnæos de Servatore noſtro. loquens, quædam ejus verba recitat, quæ unde acceperit, ignoro. Ego vero, inquit, poſt Reſurrectionem Dominum ipſum in carne apparuiſſe ſcio, & credo. Qui cum ad Petrum & ceteros ejus Comites acceſſiſſet, dixit illis : Aprehendite, contrectate me, & videte, quod non ſum incorporeus Spiritus*. Qui hæc Euſebii tantum legeret, conſequi videretur poſſe, Ignatium ex aliqua Traditione potius, quam ex Codice verba Domini allegaſ-

legaſſe. Verum ea protulit Euſebius, quod Hebraicum ignoravit Nazaræorum Evangelium; quod jam Viri Clariſſimi oſtenderunt. Hieronymus quippe de Ignatio ſcribens in Vitis Virorum Illuſtrium, ipſiſſima verba refert, *de Evangelio*, inquit, *quod nuper a me tranſlatum eſt*; & in Proœmio in Lib. XVIII. Iſaiæ, ſubdit: *Quum enim Apoſtoli eum putarent ſpiritum, vel, juxta Evangelium quod Hebræorum lectitant Nazaræi, incorporale Dæmonium, dixit eis &c.* Si Euſebium latuit Nazaræorum Codex; qua arrogantia veterum omnium Lectionum cognitionem nobiſmetipſis aſſeremus, quum tot deperdita ſint antiqua Exemplaria, totque, judice Pfaffio in Præfatione Diſſertationis *De genuinis Novi Teſtamenti Lectionibus*, deliteſcant adhuc in Oriente, quorum ope fides Patrum in ratione citandi, atque diligentia poſſet patefieri?

Iterum dicimus, difficile nimis, ac fere impoſſibile, omnia videre, omnia colligere ac memorare. *Monſieur Maittaire*, ut Batavi Scriptoris verbis utar, Tomo Bibliothecæ Novo-Antiquæ XVIII. pag. 398. *nous dit dans la Preface du II. Tome des* Annales Typographici, *que quand il commença cet Ouvrage, il croyoit l'avoir achevé dans une année; mais qu'il fut bientot detrompé, & que plus il cherchoit d'Editions anciennes, plus il en trouvoit; ſans pouvoir eſperer d'epuiſer jamais la matiere. En effet*, proſequitur Excerptor, *un homme ſeul n'eſt pas en etat de viſiter, je ne dirai pas toutes les Biblioteques particulieres, mais pas meme les publiques, qui ſe trouvent dans l'Europe; & ſans cela, il n'eſt guere poſſible, qu'il n'echappe rien a ſa curioſité; ou plutôt, il eſt tout a fait impoſſible qu'il ne commette des grandes omiſſions, dans un Recueil, comme celui ci.* Quod ſi ita ſe res habuit in editis Operibus; quid in eruderandis MSS. cogitandum?

dum? Quanto major difficultas! quam impervius labor! quanta uberiore copia omiſſiones!

In eorum profecto ſententia numquam eſſe aut potui, aut potero, qui ſatietatem demum rerum, ac inventorum obtendunt; quare tandem conſequatur, ut de veritate aliqua, etiam Hiſtorica, primum detegenda, enucleandaque, ſero hoc tempore deſperemus. Jam enim, ſi ita, uti Definitores iſti ſtatuunt, res eſt, valedicamus Litteris; non amplius ſcribamus Libros; nil inquiramus amplius; & quod aliqui, in ſuæ vindicias inertiæ ſocordiæque, faciles repetunt, dicamus etiam nos, omnia videlicet jam dicta, omnia diſcuſſa eſſe, occupata omnia, nihil reliquum adhuc eſſe, de quo jure ac merito eſſe ſolliciti poſſimus; ſtultum denique aliqua de eruenda veritate adhuc cogitare: quare omnes in id curæ datæ ſint protervis in mare Creticum portare ventis. Verum, non ea erat in ſententia Auctor Bibliothecæ Novo-Antiquæ, cujus hæc ſunt verba Tomo XV. pag. 355. *Un homme d'eſprit diſoit un jour a un tres-habile Critique, qu'il ètoit ſurpris, qu'on eût travaillé, depuis tant d'années, ſur les Auteurs Anciens, & qu'on n'eût pas encore fait, ſur leurs Ouvrages, tout ce qu'il etoit poſſible d'y faire. Ce ſçavant homme, qui n'avoit pas tant de promptitude dans la Converſation, que de penetration a retablir les paſſages corrompus des Anciens, ne ſçût pas que lui repondre, & demeura en quelque maniere confus. Il auroit pû repondre, que, quant au gros & a l'eſſentiel, on entendoit aſſez bien les Ecrits de l'Antiquitè; mais que dans le detail il y avoit toujours quelque choſe a faire; parceque pluſieurs de ceux, qui avoient travaillè ſur leurs Ecrits, s'etoient trompez, & meritoient d'etre refutez: Que l'on trouve tous les jours des paſſages de l'Antiquitè, aux quels l'on n'avoit pas pris*

 garde

garde auparavant ; qui ſervoient infiniment a confirmer, ou a eclaircir ce qu' un autre Auteur avoit dit : Que ceux la meme, qui etoient capables de bien entendre l' Antiquitè, & qui avoient lú un Auteur pluſieurs fois, ne laiſſoient pas d' y trouver des endroits, où ils n' avoient pas pris garde, qui avoient beſoin de correction : ou de decouvrir des corrections trés-ſures, qui ne leurs etoient pas venuës d' abord dans l' Eſprit. Que dans la decouverte de ces ſortes des choſes, il y avoit une eſpece de bonheur, qu' on n' avoit pas toujours ; qu' enfin les MSS. mieux examinez, & les anciennes Editions, fourniſſoient des nouvelles manieres de lire, aux quelles on n' avoit pas pris garde auparavant. Non jam igitur eſt mundi finis ; proindeque MSS. ope, quæ adhucdum e latebris eruuntur, & ſagaci aliqua animadverſione facta locis, quæ præteriti Scriptores intacta reliquerunt, aliquam, levem ſaltem, poſſumus in apricum producere veritatem, novas detegere Sacrorum Exemplarium veterum Lectiones, eas demum invenire, quas SS. Patres, aliter atque nos legentes, recitarunt. En! quod in admonitione in geminas S. Hieronymi Præfationes in Librum Paralipomenon, & Libros Salomonis juxta LXX. votis conceperat Martianæus, ſe demum conſequutum lætatur Blanchinus. Quum enim Hieronymiana LXX. Verſio, (ſi Pſalterium & Jobum excipias) ab univerſis Scriptoribus rerum Hieronymianarum penitus deperdita aſſeveraretur ; ipſe partem non modicam tanti theſauri in pluteis inſignium Bibliothecarum, dum evolvendis Sacrarum Scripturarum Codicibus operam daret, ſe reperiſſe, gaudio, quod modum neſcit, teſtatur in Epiſtola ad Joannem Chryſoſtomum Scholarum Piarum, quam in primo laudato edidit Fragmentorum Tomo. Quot Græcorum Latinorumve

Digitized by Google

ve mediæ ætatis *Catenæ* ampliſſimis in Bibliothecis pulvere conſepultæ jacent; quo de queritur Petrus Belheſtrus, in Libro de optima legendorum Patrum methodo, Parte II. Capite duodecimo! Sed fac, nec inventas in Codicibus Lectiones, quæ Patrum Citationibus reſpondeant, nec futurum ut inveniantur; numquid inferendum: non fuerunt? Minime ſane. Quot enim mille de cauſſis Codices perierunt? Jam nec prophani Scriptores teſtimonia deperditorum Auctorum legiſſe dicendi ſunt, ſed arbitrario recitaſſe, quod nullibi gentium Lectiones illæ aut editæ ſint, aut futurum ſit, ut olim typis valeant conſignari. Hæc adeo manifeſta ſunt, ut, quamvis integrum hiſce de rebus ſcribere facile eſſet Commentarium, pudeat me tamen & adeo multa repetere paſſum eſſe; quum tam lucidam veritatem tetigiſſe ſolum & in mentem revocaſſe, pluſquam ſatis eſse videatur.

CAPUT IV.

De ſtudio veterum Chriſtianorum erga Scripturas Sacras: Eorundem adverſus Scripturarum corruptores querimoniæ: cetera demum, quæ manifeſte indicant, non ſenſus modo, ſed verborum etiam rationem eos habere debuiſſe.

SI Criticis igitur quibuſdam, eorumque ſententiæ ſtandum eſset, qua Patres memoriter, tumultuario, arbitrario Scripturarum citaſse verba contendunt; ſequeretur procul dubio, ignoraſſe Sanctiſſi-

mos Eccleſiæ Doctores, quod Pueri etiam ætate illa calluiſſe perhibentur. Quanto ſtudio Chriſtiani veteres, Sacras Scripturas, Evangelii præſertim Codicem, proſequerentur, quam aſſidui earum in Lectione eſſent, oſtendit fuſe Joſephus Catalanus Lib. III. de Codice Sacri Evangelii, atque ſervatis in ejus Lectione, & uſu vario ritibus, Capp. 21. & 39. S. Hieronymus in Epiſtola ad Gaudentium, eum inſtruens de Pacatulæ infantulæ inſtitutione, puerulis etiam Evangeliorum Lectionem præſcribit. *Cum virgunculam*, ait, *ſeptimus annus exceperit, diſcat memoriter Pſalterium, & Evangelia ſui cordis theſaurum faciat*. Tertullianus in Apologetico: *Cogimur ad divinarum Litterarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere*. Et Libro de Anima: *Jam vero prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut adhortationes proferuntur, aut petitiones delegantur &c.* Suam denique dehortans Conjugem a nuptiis cum Gentili, Libro ad eandem ſecundo, *Quid maritus ſuus*, ſcribit, *vel marito quid illa cantabit? Audiat ſane, audiat aliquid Dei cœna de taberna, de Gehenna. Quæ Dei mentio? quæ Chriſti invocatio? Ubi fomenta fidei* (ut moris erat apud Chriſtianos) *de Scripturarum interlectione? Ubi ſpiritus refrigerium? Ubi divina benedictio? Omnia extranea, omnia inimica &c.* Fuſe & vere pie hunc ſacras olim Scripturas apud Chriſtianos legendi morem deſcribit Joannes Fronto, ubi agit de Vita primorum Chriſtianorum, his verbis: *Ita aſſidui erant nonnulli eorum, ſive Clerici, ſive Laici, in iis evolvendis, ut toti in illis eſſent, fere memoria tenerent, ad omnia uſurparent: ſic porro ſucco illarum paſcebantur, ut ex iis animus vegetior & alacrior factus, corpori inediis ac vigiliis confecto vigorem & robur adderet.*

deret. Et de ſamilia agens Chriſtiana: *In domeſtico Conventu ex Scripturis divinis aliquod delibatum fuiſſe, vix dubitare poſſim. Fuere namque in familiis Anagnoſtæ, hoc eſt Lectores, ex uſu & conſuetudine etiam Gentilium. Pronunciabat itaque Lector aliquid ex Sacra Scriptura, ut primum in animo locum hæc occuparet, & mentis cogitationes tota die ſanctas redderet. Verbum enim Dei, primi illi Chriſtiani, tamquam corpus & ſanguinem ejus, & tamquam Deum ipſum receperunt, & intra ſe condiderunt*. Quid, obſecro, Adverſarii ad iſta? Num cum Clerico Tomo XV. Bibliothecæ Novo-Antiquæ pag. 405. & 406. dicent: *que le P. Fronteau repreſente ici les Chretiens des premiers Siecles, tels qu' ils devoient etre, & prend bien plus le ton d'un Declamateur, que celui d'un Hiſtorien?* Hoc certe non poſſent regerere Proteſtantes, qui ut adverſus nos evincere conentur, Scripturas in propriam maternamque cujuſcumque Regionis Linguam transferri debere, quo vel Idiotæ poſſint eas legere, ſuas replent Polemicas Lucubrationes ſimilibus Patrum teſtimoniis; quare vel primorum ſæculorum Idiotas Sacra Biblia, nocturna verſaſſe manu, verſaſſe diurna concludant. Num dicent cum eodem Clerico, *que le P. Fronteau cite bien les Auteurs, d'ou il pretend tirer ce qu' il dit, mais il ne met que leurs noms au deſſous des pages, ſans rapporter leurs paroles, ni marquer meme l'endroit, ou ce qu' il dit doit ſe trouver, s' il a bien entendu ſes Auteurs?* Sed nos veterum Patrum teſtimonia retulimus. Verum ut-ut aliqua concederetur in Frontonis oratione amplificatio; quis eam negabit in Scripturis legendis memoriæque mandandis aſſiduitatem ſummis in Eccleſia Magiſtris, maximis illorum temporum Doctoribus, quam Hieronymus Virgunculis, Tertullianus Feminis

 con-

conceſſit, quamque Clerici ac Laici, Frontonis teſtimonio, habuerunt?

Quanta Sanctorum fuerit Patrum vel erga Scripturæ imos apices & quam accurata diligentia, ipſimet non uno in loco evidentiſſime declarant. Notum in primis, vel iis qui Theologiam a primo limine ſalutarunt, omnes SS. Patres, divinæ Inſpirationis rationem relate ad Scripturam ita conſtituiſſe, ut Sacros Scriptores adeo ſemper actu & proxime afflatos vellent, ut nec apex aut litterula ſit, quam a Deo non acceperint; quum altera illa, quæ nunc obtinere videtur, geminæ Inſpirationis ſententia XVI. Sæculo orta demum eſſe videatur. S. Hieronymus in Caput Matthæi VI. & in Caput III. ad Epheſios ſcribit: *Singuli ſermones, ſyllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus;* & in Epiſtola ad Paulinum, *ſola Apocalypſis*, inquit, *tot habet ſacramenta, quot verba*. S. Auguſtinus Epiſtola XIV. aſſerit, *ſe nullius hominis Libris tantum deferre, quantum divinis Litteris, non ob veritatem, quæ par eſt in utriſque, ſed ob verba phraſimque dictantis, qui eſt Spiritus Sanctus*. S. Joannes Chryſoſtomus Homilia XVI. in Geneſim hæc habet: ἐπὶ τῆς θείας γραφῆς, κ', ἐν βραχείᾳ λέξει πολλήν ἐστιν εὑρεῖν τῶν νοημάτων τὴν δύναμιν, κ', ἄφατον τὸν πλοῦτον. *In divinis Scripturis, etiam in parva dictione ſenſuum gravitas, & immenſæ inveniuntur divitiæ*. Et Homilia XXVIII. in Geneſim idem Sanctus Pater: οὐδὲν γάρ ἐστι τῶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κειμένων, ὃ μὴ μετά τινος εἴρηται λόγου, πολλὴν τὴν ὠφέλειαν ἐγκεκρυμμένην ἔχοντος. *Nihil enim in divina Scriptura continetur, quod non aliqua ratione dictum ſit, quæ non & latentem in ſe habeat utilitatem*. Denique poſt pauca: οὐδὲν γὰρ, καθάπερ ἔφθην εἰπὼν τῶν ἐν θείᾳ γραφῇ κειμένων ἄνευ λόγου τινὸς κ', αἰτίας ἐστιν εὑρεῖν ἐγγεγραμ.

γραμμένον. Nihil enim in Sacra Scriptura, ſicut dixi, invenire licet, quod abſque ratione aliqua ſit ſcriptum. Sanctus Epiphanius numeros in Scripturis expreſſos maxima conſideratione dignos dixit in Expoſitione Fidei his verbis: *ὅτι μὲν γὰρ κ', ὁ ἀριθμὸς γεγραμμένος ἀπαράβατός ἐστιν ἑκάστης ὑποθέσεως, κ', ὅτι δύναται τὸ ἐν ἀριθμῷ καταπεπηγμένον ἕωλόν τι εἶναι, ὅτι εἰς ἀργότητα ἐν τῇ γραφῇ ἐπιμετρεῖσθαι. Etenim ubicumque numerus concipitur, oſcitanter prætermitti non debet; neque quod ita comprehenditur, vanum quiddam & inane videri, aut otioſum exiſtimari.* Ante Patres hos omnes recitare debueram teſtimonia Baſilii, quæ multa quidem ſunt, ſed paucis ero contentus. Inquit igitur Sanctiſſimus ille Pater, Oratione prima de Hominis ſtructura: *ἢ, μή που ἀδολεσχία ἐν τοῖς προτέροις λόγοις ὑποληφθείη, κ', περιττὴ ἡ τοῦ δευτέρου προσθήκη, ὡς τῶν δύο λέξεων ζὴν αὐτὴν ἔννοιαν ἐχουσῶν*, &c. explicans nempe phraſim illam Scripturæ, " faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram": *Aut, numquid in prioribus verbis nugacitas æſtimanda ſit ſuperfluaque ejus, quod ſecundo loco poſitum eſt, adjectio, quippe quod ambæ dictiones eandem habeant ſenſum, nulloque diſcrimine idem ſignificent? Enim vero quidquid horum ſuſpicati, ac cauſificati fuerimus, in Scripturæ haud leve crimen cedet. Sive enim ceu quid redundans dicat quis, quod ita ſcriptum eſt,* ad ſimilitudinem, *quaſi bis idem dicatur, otioſum verbum arguit: graviſque hæc in Scripturam blaſphemia, cujus numquam moris eſt otioſa loqui.* Et Commentario in Eſaiam Prophetam Capite II. *Verum nihil otioſum eſt in Spiritus Sancti verbis: ἀλλ' οὐδὲν ἀργὸν τῶν τοῦ πνεύματος.* Ipſorum igitur Patrum teſtimonio, ſyllabæ ſingulæ, apices, puncta referta ſunt ſenſibus. Ipſorum ſententia, nihil eſt in Scripturis otioſum;

tot ſunt ſacramenta, quot verba; nec unum comma eſt, quod latentem in ſe non habeat utilitatem; nihil in ea invenire eſt quod abſque ratione aliqua dictum ſit; etſi veritatis ratio indiviſibilis, ut ita dicam eſſe videatur, phraſes verbaque tamen majoris in ea ponderis veritatem efficiunt, ac illa ſit, quæ ceteris in Lucubrationibus continetur. Hæc, inquam, Patrum ipſorum mens erat, cum qua tamen hodierni quidam Critici ſtare volunt poſſe, fidendum non eſſe eorundem Patrum citationibus; ſcilicet, vel apices Scripturarum Patres myſteriis ſcatentes arbitrati quidem ſunt, ſed nulla inde myſteriorum hujuſmodi habita ratione, nulla ſyllabarum, nulla verborum, nulla phraſium, Scripturarum tantum ſenſus retulerunt, uti potuerunt, uti maluerunt, memoriter, arbitrario, tumultuario; ſenſum expreſſerunt conjiciendo, aut accommodandi ergo, dictionem dictione permutaverunt; caſus, numeros, verba, caſibus, numeris, verbis ſubſtituerunt; periodi membrum omiſerunt; paraphraſtice Scripturam Auditoribus expoſuerunt; mutarunt quadrata rotundis, rotunda quadratis. Indignam ſane Sæculo, indignam Inventoribus ſuis conſequutionem.

Auctor Radicum Hebraicarum abſque Vocalibus Punctis, ſeu uti vocant, *du Dictionaire Hebraïque par Racines* &c. Lutetiæ MDCCXXXII. in Præfatione qua Maſclefianam legendi Methodum tuetur & explicat, ſimili argumento illorum opinionem exagitat, qui vocalia Puncta, ab Eſdra inventa, nullo jure defendere conabantur: *Les Septante ont donné leur Traduction a peu prés cent ans depuis Eſdras. Or la verſion des Septante ne nous rend pas le Texte Hebreu tel que les pointſ-voyelles nous le preſente. La ſeule confrontation des Textes en eſt la preuve, & aucun*

cun partiſan des pointſ-voyelles ne le conteſte. Neanmoins les ſeptante étoient Juifs de nation; ils regardoient Eſdras comme un Prophete; ils tenoient pour Canonique tout ce que le ſaint homme avoit pû mettre dans les Livres ſaints. Comment donc lui ont ils été ſi infidelles? Des ſçavans Juifs traduiſent un Livre qui eſt l'unique trésor de la Synagogue, dont ils ſont membres. La clé unique de ce treſor, ce ſont les pointſ-voyelles; points ajoutez au Texte hebreu par un homme inſpiré d'en-haut; points neceſſaires pour fixer les ſens de la parole de Dieu. Et neanmoins ces hommes, ne faiſant nulle attention aux travaux d'Eſdras, ni aux facilitez qu'ils y trouvent pour rendre fidelement leur Texte, ſont aſſez téméraires pour nous preſenter une Traduction qui s'ecarte des pointſ-voyelles en mille endroits! Comment peut-on allier des faits ſi contradictoirs? Dignoſcet ſtatim Lector, quam æqua hoc ſit in loco comparatio: Quam ſimilis ſuppoſitionum, ut ita dicam, Antilogia. Fateri, Patres (debent enim Adverſarii fateri) myſteriis affluentes crediſſe vel ipſos Scripturarum apices; fateri, Heronymum ſcripſiſſe, ipſum verborum ordinem in Scripturis Sacris Myſterium eſſe, inque verbis ſingulis Scripturæ multiplices latere intelligentias; ipſos deinde Patres adſerere, non dicam in apicibus, ſed in integris Scripturarum teſtimoniis recitandis, fuiſſe infideliſſimos! Scilicet quod tantopere admirantur, contemnunt Patres, ac ſecum pugnant, ut in iis cernere ſit

Littora littoribus contraria, fluctibus undas.

Ea vero de cauſſa magis retuli ſuperiora Galli Scriptoris verba, quod viam aperiant neceſſariæ animadverſioni. Etiam Aquila, Symmachus, & Theodotion, ſuis in Interpretationibus a Textu hebraico receſſerunt. Sed quare? Profecto ob textus ambiguitatem,

tem , quam in Hebraica Dialecto, punctis ablatis , quæ nulla tempore illo erant, adeſſe norunt leviter etiam docti. At quos Patres recitare debebant Textus, nulla laborabant ambiguitate. Ut enim Controverſiam paucis explicemus omnem, (de qua fuſius in loco) non contendimus in præſens SS. Patres aut citaſſe, aut citare debuiſſe Textus Originales Hebraicos ac Græcos ; ſed loquimur de Textu Verſionum ſaltem , quas præ manibus habebant: Quumque Textus profecto vel Græci , vel Latini eſſent, longe ab illa ambiguitate diſtabant, quæ Hebraicis in fontibus neceſſario erat.

Feruntur teſtimonia Juſtini in Dialogo cum Triphone Judæo, Origenis , Hieronymi, Joannis Chryſoſtomi , quibus contendere videbantur, Judæos data opera Scripturarum teſtimonia corrupiſſe , aliqua eraſiſſe verba, aliquas induxiſſe ſacrum in Textum mutationes. Ait Simonius Lib. IV. ſuæ Hiſtoriæ Criticæ Veteris Teſtamenti , haud ſatis aperte conſtare , an loquuti Patres fuerint hebraicis de fontibus , Judæorum malignitate peſſima vitiatis , an vero de Aquilæ, Symmachi , Theodotionis , ceterorumque Græcorum Interpretum Verſionibus . Hoc poſtremum certius nobis utique videtur. Ut-ut ſit , qua fronte , precor , potuiſſent malam fidem Interpretibus aut Commentatoribus,ex ambiguo per ſe Textu diſputantibus , objicere , Viri qui ſuis in Editionibus fideliter citandis nullam ſervaſſent curam, nullam diligentiam? Quantas vero adverſus Hæreticos Sacræ Scripturæ violatores , SS. Patres egerint Tragœdias ex uno elaboratiſſimo docemur Germonii Tractatu de Hæreticis Sacrorum Codicum Corruptoribus . Epiphanius Hæreſi XLII. omnes depravationes enumerat , quas in Lucæ Textum invexerant Marcionitæ. Talis ac

tanta

tanta ſuit ea in re Sanctorum Patrum diligentia, ut vel diverſitates ab Hebraiſmis, ſeu Helleniſmis procedentes, corruptionum nomine donaverint; quare non defuerunt, ætate noſtra, qui veteres illos Hæreticos aliqua ſaltem in parte ſategerint vindicare. Indicium tamen certiſſimum id eſt, Patres de Textubus, & quidem ſincerioribus Scripturarum fuiſſe maxime ſollicitos. Suammet ipſi, qua in citationibus utebantur, prædicabant fidem. Divus Ambroſius de Incar. Dom. Sacram. Cap. 3. ſic ſcribebat: *Non nobis credatur, non ego dico a me,* " in principio erat Verbum," *ſed audio; non effingo, ſed lego.* Tertullianus non alia ratione Marcionem Evangeliorum Interpolatorem oppugnare ſe probe poſſe exiſtimabat, quam ad fontes ipſum provocando, ad antiquiores Textus, ad Codices Apoſtolicis in Eccleſiis adſervatos; ita enim in Libro adverſus Hæreticum illum IV. *Ego meum (Digeſtum,* ut ait, ſeu Evangelii Codicem) *dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod poſterius revincetur? In quantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum præcedat neceſſe eſt veritas falſum. Prior erit res paſſione, & materia æmulatione. Alioquin quam abſurdum; ut ſi noſtrum antiquius probaverimus, Marcionis vero poſterius, & noſtrum antea videatur falſum, quam habuerit de veritate materiam, & Marcionis ante credatur æmulationem a noſtro expertum, quam eſt editum, & poſtremo id verius exiſtimetur, quod eſt ſerius poſt tot ac tanta jam opera atque documenta Chriſtianæ Religionis ſæculo edita quæ edi utique non potuiſſent ſine Evangelii veritate . . . . Itaque dum emendat, utrumque con-*

confirmat, & noſtrum alterius, id emendans quod invenit, & id poſterius, quod de noſtri emendatione conſtituens ſuum & novum fecit In ſumma, ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis; pariter utique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauſerint; ad quam regulam Galatæ ſint correcti; quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſii; quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Evangelium Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Habemus & Joannis alumnas Eccleſias .... Dico itaque apud illas, nec ſolas jam Apoſtolicas, ſed apud univerſas, quæ illis de ſocietate ſacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis ſuæ ſtare, quod cum maxime tuemur. Poſſibile vero ne, hominem hujuſmodi principiis inſtitutum, poſſibile, inquam (nam & de illo loquitur Cl. Barzanus) Hominem Hæreticos temporis ſui ad primigenios Textus, ad vetuſtiores Codices, ad id quod legebant, quod Apoſtolicæ ſonabant Eccleſiæ, in Scripturarum interpretatione revocantem, ipſorum denique Hæreticorum, nempe Marcionitarum, more ita vertere, aut potuiſſe, aut voluiſſe Bibliorum teſtimonia, ut Lectiones, & verba & phraſes peſſime confunderet, aliter atque habebat Textus legeret ac ſonaret, de veteribus Editionibus, deque Apoſtolicarum Codicibus Eccleſiarum impudentiſſime confideret?

Quod genus hoc hominum, quæque hunc tam barbara morem
Permittit Patria,

In aliis videlicet ut immanis inſtar ſceleris damnarent Patres, quod ſibi integrum eſſe ac licere vellent?

Ubi

Ubi decorum? ubi ordinatæ Diſputationis leges? ubi ſpes fructus atque victoriæ? Interim ne generalibus conjectationibus rem totam, non ſine Lectoris moleſtia, conficere me in præſens velle, qui nonniſi monumenta amant, arbitrentur; Patres ex Scripturis teſtimonium dicentes, maxime quum adverſus Hetherodoxos depugnarent, non memoriter ac tumultuario id feciſſe, ſed textubus Verſionum ſuarum adhæſiſſe oſtendam uno aut altero exemplo, ſatis tamen efficaci. Notiſſimum eſt, quod Auguſtinus refert, Epiſtola ad Hieronymum Vet. Edit. X. & in Reſponſione Hieronymus ad Auguſtinum, *propter quiddam*, videlicet, *in Jona Propheta male interpretatum, ſive propter unius verbi diſſonantiam, ſeditione Populi conclamante, Epiſcopum pene Sacerdotium perdidiſſe.* Sed majoris ſunt ponderis quæ ſequuntur. Diſputaverat cum Donato Auguſtinus, cujus hæreſim in eo poſitam eſſe dignoſcebat, quod Baptiſmum aliaque Sacramenta ab illis collata, qui, hæreſi, aut quovis crimine contaminati, mortem incurriſſent, irrita ac nulla eſſe contenderet. Errorem Donatus confirmabat ſuum Eccleſiaſtici etiam verbis, Lectione tamen a ceteris veluti diverſa. Quum enim in Codice Auguſtini, Eccleſiaſtici Lectio haberet, uti etiam in Vulgata; *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus?* Donatus ex oppoſito ita Textum recitabat: *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* comma illud medium ſilentio præteriens; quare inficiari nemo poſſet, locum illum ſic truncatum opinioni ſuæ egregie favere. Auguſtinus qui ſuorum de integritate Codicum nullatenus dubitabat, videbatque integro Textu doceri nos, inanem eſſe purgationem ejus, qui pœnitentiæ remedio mundatus, iterum ea peragit, propter quæ pœnitentiam

Digitized by Google

tiam ſuſceperat: ſicut apud Judæos ejus qui mortuum tetigerat, inanis erat lotio, ſi lotus eundem mortuum rurſus tangeret; Auguſtinus, inquam, qui hæc pro compertiſſimis habebat (ut animadvertit etiam Coutantius in Vindiciis veterum Codicum confirmatis Parte II. Cap. 1.) tam grave ſacros inter Codices diſcrimen fortuito caſu contingere potuiſſe quum non proſpiceret, fraudem ſuſpicatus, hanc non in alium, quam in eum, qui mendoſa Lectione abutebatur, cujuſque perverſam mentem apprime eadem Lectio juvabat, rejiciendam judicavit. Judicium tamen, quod tot adjuncta firmare videbantur, falſum tandem aliquando probavit ipſe, atque in quem impegerat errorem, ſuo pro commendabili candore, nos ignorare noluit. Præſto eſt ejus teſtimonium Libro Retractationum I. Cap. 21., ubi primo Donatum a crimine, cui eum obnoxium exiſtimarat, abſolvit his verbis: *Nec de Libro Eccleſiaſtici ipſe abſtulit de media ſententia verba ad rem neceſſaria, ubi cum ſcriptum ſit; "qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus?" iſte ſic poſuit: Qui baptizatur a mortuo quid proficit lavatio ejus?* Tum unde Donatum bona fide hunc locum ita citaſſe, & nihil ex eo detraxiſſe vel ſuppreſſiſſe deprehenderit, ſtatim enarrat in hunc modum: *Nos autem & antequam eſſet pars Donati, ſic habuiſſe Codices plurimos, verumtamen Afros, ut non eſſet in medio, " & iterum tangit illum, " poſtea didicimus. Quod ſi tunc ſciſſem, non in illum, tamquam in furem Divini eloquii, vel violatorem, tanta dixiſſem.* Hac præconcepta Hiſtoria, Veteres de Codicum, ita ut dicam, Textu fuiſſe maxime ſollicitos evidentiſſime conſtat. Qui leviter etiam in Hipponenſis Epiſcopi operibus verſatus eſt, ignorare haud poteſt, quantæ ipſum inter & Do-

Digitized by Google

Donatiſtas interceſſerint Controverſiæ; quot, ſeu voce, ſeu calamo, Diſputationes. Semel adhuc tamen de citatione Scripturarum non legitima, a Donato facta, conqueſtum legimus Auguſtinum, qui demum, pluribus Codicibus inſpectis, Adverſarium a falſarii nota candide abſolvit. Inſolens erat igitur ætate illa a Verſionum textubus recedere, inſolens Scripturarum textus reſecare, interpolare, aliter atque in Codicibus erant, ſententias recitare. Cur enim aliis de corruptionibus non queritur Auguſtinus? Ad hæc, myriades teſtimoniorum ex Bibliis citavit Hipponenſis Præſul adverſus Donatiſtas. Ea ſi legas, non certe omnia cum recepta in præſens Verſione examuſſim conſonant. Verum quæ lex, aut quod ſane monſtrum hujuſmodi fuiſſet, quo licuiſſet Auguſtino recedere a textu, ſeu a Lectione receptiorum Verſionum, memoriter, tumultuario, arbitrario Scripturæ loca recitare; Donatiſtis illud idem fas minime fuiſſet? Recolat humaniſſimus Lector eriſtica Patrum illorum Scripta, evolvat Diſputationes quas adverſus Hæreticos habebant (quid enim Voſſio, Morino, Pezronio in cauſſa Judæorum a doctiſſimis Viris reſponſum ſit, non ignorabit) dignoſcet apertiſſime, non de Textu, ſed de textus ſenſu ac conſectariis ſemper fuiſſe quæſtionem. Qua ratione vero de ſenſu Textus diſputare longa oratione Patres potuiſſent, niſi revera cum adverſariis conveniſſent in Textu; niſi bona fide, & probatis ex Codicibus Adverſarium agere præconceptum habuiſſent? quod effici vix adhuc tamen poterat, non habita, non dicam phraſium ac ſententiarum, ſed verborum etiam ratione, e quibus ſubtiliſſimarum plerumque illarum quæſtionum totus pendebat nodus, atque rei declaratio. Quanti dein ſenſum Scripturarum myſticum Patres fecerint, præ-

ſertim

Digitized by Google

ſertim Orientalium Eccleſiarum, nemo eſt qui ignoret. Ad ætatem uſque Diodori Tharſenſis, ejuſque Auditoris Chryſoſtomi, nihil illi fere protulerunt, quod myſticis coloribus atque ſignificationibus non exornarent. Literam Scripturæ vero, allegorici ſenſus baſim ac fundamentum eſſe quum nulla poſſit ratione dubitari; ſequitur perinde, SS. Patres debuiſſe ſacrorum eſſe verborum tenaciſſimos, quo dein allegorias ſuperædificare poſſent ſuas, & myſticos derivare ſenſus: ut enim intelligentia ſententiarum ex cognitione vocum, ita earum fides ab harum fide pendet. Quare verba verbis, ſynonyma ſynonymis, nomina nominibus ſubſtituentes, res tandem ipſas ſubſtituiſſent rebus, ſenſibuſque ſenſus; quod nec eorum hoſtes infenſiſſimos adhucuſque cogitaſſe, compertum eſt.

CAPUT V.

Celebriores Bibliorum Editores præconcetum habuiſſe, Sanctos Patres ſuarum adhæſiſſe ſaltem textubus Verſionum; eademque in ſententia Theologorum præſtantiſſimos verſatos.

PRincipium eſto a celebri Editione Flaminii Nobilii, qui Vulgatam Veterem, ſeu Latinam Verſionis LXX. Interpretationem, ex Patrum citationibus nobis redivivam facere conatus eſt. Illa de re ità noſter Graveſonus in Tractatu de Scriptura Sacra, Parte I. §. 6. *Ut verſio LXX. Interpretum, quæ naſcenti Eccleſiæ, bonæ obſtetricis, & creſcenti, nutricis*

Digitized by Google

cis præſtitit officium, non periret, ſtrenue adlaboravit doctiſſimus Flaminius Nobilius, in Scriptis Sanctorum Patrum verſatiſſimus. Ille ſiquidem clariſſimus Auctor Editionem Italam, ſeu Vulgatam & Veterem dictam, quæ ex Verſione LXX. Interpretum erat expreſſa, & quæ ante Hieronymianam Editionem publice in Eccleſia legebatur, ſed jam a mille & amplius annis evanuerat, luci denuo reſtituit; interpretationem Textus Græci ex variis Patrum ſententiis, hac illac diſperſis, & improbo labore conquiſitis, collegit atque contexuit, edique curavit Romæ anno 1588. *Eamque iterum editam Pariſiis, una cum græco Exemplari Vaticano, publici juris fecit Joannes Morinus anno* 1628. *In his vero quæ ex Sanctis Patribus excerpere haud potuit Nobilius transferendis, veteris illius Editionis ſtylum & ſimplicitatem exprimere pro viribus ſtuduit, ſicque antiquam illam Verſionem exſtinctam nobis redivivam exhibuit.* Fatetur hoc idem Antonius Cardinalis Caraffa in Epiſtola nuncupatoria ad Sixtum V. Editioni illi præfixa. Scribit enim: *Superiore anno ſacroſancta LXX. Interpretum græca Biblia ad vetuſtiſſimorum probatiſſimorumque Codicum fidem ab eruditiſſimis Viris ad id munus delectis accurate recognita, juſſu Sanctitatis veſtræ, in lucem prodierunt. Eadem nunc iiſdem (quantum fieri potuit) verbis, quibus uſi ſunt Latini Patres, auctoritate Sanctitatis veſtræ latine reddita, & Flaminii Nobilii, Viri utriuſque linguæ peritia multiplicique eruditione excellentis, notationibus illuſtrata, ſub feliciſſimo ejuſdem Sanctitatis veſtræ nomine emittuntur.* Illis in notationibus millia inveniuntur Scripturæ Sacræ teſtimonia, iiſdem citationibus, iiſdem phraſibus, iiſdem verbis, non ſemel a Patribus recitata: In Præfatione celeberrimæ illius Editionis hæc habemus. *Hujus Editionis partes multæ ex pleriſque Libris*

cum apud ceteros Latinos Patres habentur, *tum apud S. Hieronymum in Commentariis*, *atque aliis Libris . . . . . Sapientiæ & Eccleſiaſtici interpretatio,quæ in Vulgatis Bibliis exſtat*, *ita vetus eſt*, *ut ea non modo Sanctus Auguſtinus in Speculo*, *ſed Lucifer Calaritanus*, *& S. Ambroſius*, *& S. Cyprianus*, *& alii vetuſti Scriptores utantur. At idem S. Auguſtinus in aliis Libris*, *& S. Hieronymus longe puriore & emendatiore ſunt uſi*, *quæ aut ex alia Editione fuit*, *aut ab eodem Hieronymo fuerat reſtituta*. Subjicitur in eadem doctiſſima Præfatione: *Quod autem ad latinam Interpretationem pertinet*, *diligenter operam dedimus*, *ut quæ ipſius Sanctæ Scripturæ partes a Latinis Patribus alicubi recitantur*, *eas eodem modo atque ab ipſis ſunt recitatæ*, *niſi aut illorum inter*, *aut noſtri Exemplaris varietas obſtaret*, *poneremus*; *in reliquis*, *quas recitatas non invenimus*, *eadem verba*, *eaſdemque loquutiones*, *quantum res ipſa ferret*, *retineremus*. Vides pene totum erutum a Patribus. Cur enim inter ſe in enunciandi modo aliquando diſſentirent, denique aperiemus; non certe, quod tumultuario, memoriterque Scripturæ verba recitarent, ſed quod diverſos LXXviralis Editionis Interpretes ſequerentur. In hoc uno peccavit itaque Nobilius, quod ex diverſorum citationibus Patrum, unam ſe conficere & renovare tandem poſſe ſperaret Italam Editionem, quod procul dubio poſſibile non erat; tum quod non eaſdem Omnes ſequerentur Verſiones, & diverſis iidem uterentur Interpretationibus; tum etiam quod Itala familiariſſima omnibus, antehieronymianis maxime Patribus, non eſſet; ut etiam Cl. Matthæus Petitdidier monitum voluit, Diſſertatione inter Hiſtoricas Criticas, Chronologicas in Sacram Scripturam Decima.

Deſiderius Eraſmus, cui non parum debent renatæ litte-

litteræ, non in Apologia modo, quam Operi maximo præfixit, ſed & in Epiſtola Teſtamento ſuo Novo præmiſſa Editionis Tigurinæ MDLIII. ſi quando variabant MSS., ſe Lectiones ſequutum ait antiquorum Patrum. Jacobus Faber, ut Pſalterium, quod appellat Vetus, in lucem ederet, illud totum ex S. Auguſtini Enarrationibus in Pſalmos exſcripſit; Pſalmorum etiam verba, rei ſubjectæ quandoque a S. Doctore aptata, non alio quam quo expreſſa ibi erant modo retulit, ut videre licet in Pſalmo CXX. Cl. Blanchinus in Epiſtola ad humaniſſimum Garbellium, edita Tomo Fragmentorum primo, hoc de labore Fabri judicium tulit: *Ea ergo Fabri Editio ad veteres S. Auguſtini Codices parum etiam exacta, & Hieronymianæ correctioni quam-ſæpiſſime (ut alibi de Maurina quoque Editione mihi probandum erit) accomodata, ut vere dicam, Africanam potius, quam Italam Tranſlationem repræſentat: illam videlicet, quæ Hippone Regio, non quæ in Italia atque in tota Africa circumferebatur ante S. Damaſi Papæ tempora*. Itaque aliquam citabant ſemper Patres Editionem, Editionem, inquam, ſuis in Eccleſiis receptam, ac ſuam peculiarem, quam citarent, habebant Verſionem; qua in re non Fabrum modo, ſed & Correctorem ejus conſentientem legimus: Quare jure ac merito inferendum videatur, diverſis ab iis, quæ priore Capite laudavimus, principiis proceſſiſſe celeberrimos Viros, quotquot Sacra Biblia, aut eorum partem ediderunt, aut emendarunt; quotquot Sacrum Textum germanam ad Lectionem revocare ſategerunt. Tantam ſiquidem ſi habuerunt Patrum veterum, eorumque citationum rationem, eaſdem ſibi, perfectiſſima tamquam Exemplaria, tamquam ſinceros, (ut-ut in hoc erraarent; non enim fontibus Patres dabant operam,

ſed plurimum Verſionibus) primitivos ac genuinos Codices, propoſuerunt imitandas.

Qui Plantinianam Bibliorum Editionem tanto ſtudio curarunt, hiſce Lectorem monent in prima illius Editionis Præfatione: *Tum ad veterum Tractatorum textus, & commentaria examinatæ ſunt* (Lectiones) *& quorumdam quidem Librorum, ad plurium, quorum ſigna in margine perſpiciantur; ceterorum vero ad unius, cum adfuit copia. Itaque variæ Lectiones Geneſeos, Exodi, Numerorum, Deuteronomii, Eccleſiaſtici, & poſterioris partis Jeremiæ, examinatæ ſunt ad Rabanum, Levitici ad Radulphum; Librorum Regum, Paralipomenon, Job, Pſalmorum, Eccleſiaſtæ, Iſaiæ, prioris partis Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, duodecim Prophetarum minorum, Evangelii ſecundum Matthæum, Epiſtolarum D. Pauli ad Galatas, Epheſios, Titum & Philemonem, ad Hieronymum, aut ea Commentaria, quæ Hieronymo adſcribi, & inter ejus Opera legi ſolent; Primi Regum, Eſdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Proverbiorum, Evangelii ſecundum Marcum, Actorum, Epiſtolæ Pauli ad Hebræos, & ſeptem Catholicarum, ad Bedam; Job & Cantici Canticorum, ad Gregorium; Pſalmorum, & Evangelii ſecundum Joannem, ad Auguſtinum; Pſalmorum & Evangelii ſecundum Matthæum, ad Hilarium; Pſalmorum quartò, & Evangelii ſecundum Lucam, ad Ambroſium; Epiſtolarum D. Pauli ad Romanos, Corinthios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, & Timotheum, ad ea Commentaria, quæ Ambroſii titulum ferunt; Apocalypſeos, ad Primaſium.* Altera in Præfatione, ſive, ubi explicant, quid Plantiniana illa in Editione obſervandum ſit, ſigna declarantes, quæ in Editionis cum Textu, tum margine occurrunt, hæc etiam habent: *Rab. ſic Rabanum legere, vel ſaltem Textum commentariis*

ejus

ejus adjunctum, ſignificat. Aug. ita Auguſtinum legere, aut ſaltem textum Enarrationibus ejus inſertum, demonſtrat. Simile eſt de aliis hujuſmodi; quæ ut paucis explicentur, Rad. Radulphum, Hier. Hieronymum, B. Bedam, Greg. Gregorium Magnum, Hil. Hilarium, Amb. Ambroſium, Pr. Primaſium denotat. Quod ſi cujus ex his Patribus nomen paulo expreſſius poſitum fuerit, Raban. Radul. Hieron. Beda. Gregor. Auguſt. Hilar. Ambroſ. vel Primaſ. inſinuatur, ex ipſis Patris Commentariis colligi, ſic ab eo lectum fuiſſe; quamvis qui ipſis adjunctus eſt Scripturæ textus aliter habeat. Qui Editioni Vulgatæ ſub Clemente VIII. emendandæ præfuerunt, teſtantur in Præfatione, ſe in ea *Bibliorum recognitione in Codicibus Manuſcriptis, Hebræis Græciſque fontibus, & ipſis Veterum Patrum Commentariis conferendis non mediocre ſtudium impendiſſe.*

Syllabum contexuit Jacobus le Long in Bibliothecæ Sacræ Art. XII. eorum qui Variantium Lectionum Syllogas concinnarunt. Innumeri ſunt, qui ex Codicibus eas eruerunt; apertum diverſitatis maximæ inter eos intercedentis indicium. Verum & plurimi de Patrum citationibus ſolliciti fuerunt, ut veras ex iis derivarent Variantes, ſeu Exemplarium veterum Lectiones. Ex ipſis Scriptorum monumentis ita ſcribit: *Henricus Herſtius ait, ſe Novum Teſtamentum cum omnibus fere editis & non paucis MSS. Codicibus, Patrumque Græcorum Commentariis ſummo ſtudio contuliſſe, & Editionem paraſſe. = Memorat Joannes Meurſius in Athenis Batavis, cetera inter Guillelmi Coddæi inedita, Allegationes textuum e Novo Teſtamento Græcorum ex Patribus & Auctoribus aliis Græcis, quatenus aut ab editis vulgatorum Codicum textibus & variis circa eos Lectionibus diſcrepant, aut diverſitates Lectionum, quæ conſtant, firmant & fulciunt. = Fran-*

= *Franciſcus Lucas Brugenſis*, *vir*, *ut ait Millius*, *Prolegom. in Novum Teſtamentum Græcum*, *in Sacro Textu ac monumentis Patrum exercitatiſſimus*, & *in hoc eruditionis genere longe ſummus*, *Notarum ad varias Lectiones*, *in IV. Evangeliis occurrentes*, *Libellum ad calcem Commentariorum ſuffixit*, *quo quidem nihil eſt in hoc genere doctius* & *elaboratius*, *inſpectis*, *ubi fieri poterat*, *collatiſque Exemplaribus*, *explorata etiam ipſorum Exemplarium indole*, *in conſilium inſuper adhibitis Scriptis Patrum* &c. = *Exſtant Joannis Sauberti variæ Lectiones textus Græci Evangelii S. Matthæi*, *ex pluribus impreſſis ac MSS. Codicibus collectæ*, & *cum Verſionibus partim antiquis*, *partim præſtantiſſimis*, *nec non Patrum veteris Eccleſiæ Græcorum Commentariis collatæ*. = *Certum eſſe inquit Joannes Millius*, *elucubratos fuiſſe XII. Sæculo Tractatus quoſdam Criticos*, Correctoria Bibliæ *dictos*, *in quibus*, *facta Codicum aliquot Latinorum inter ſe*, & *ſubinde cum Græco textu* & *Scriptis Patrum collatione*, *vitia graviora notata erant* & *emendata*. = *Correctorium Bibliorum MSS. adeſt ab incerto Auctore*, *qui* Epanorthotes, *ſeu Corrector vocatur*, *magna diligentia ac fide contextum*. *Hic Auctor antiquos Vulgatæ Editionis Codices ſecutus eſt*, *eoſque cum Hebræis*, *Græcis*, & *veterum Patrum Commentariis ſedulo contulit*. *Exemplar multis annis ſcriptum*, & *pluribus forte compoſitum*, *fuit olim Auguſtini Hunnæi*. = *Excuſæ denique ſunt Variantes aliquot Lectiones in Matthæi Evangelio ſecundum antiquam Verſionem Latinam Vulgatam*, *deſumtæ ex vetuſtiſſimorum Patrum Latinorum ſcriptis*, *ſtudio* & *labore Joannis Martianay*, *Pariſiis MDCXCV*. Hucuſque le Long, qui ſi vitales adhuc ſpiraret auras, adjeciſſet Opus cui titulus: *Librorum Sacrorum Latinæ Verſionis antiquæ*, *ſeu Vetus Italica*,

ca, ceteræque quæcumque in Codicibus MSS. & Antiquorum Libris reperiri potuerunt; quæ cum Vulgata Latina & Textu Græco comparantur: Opera & ſtudio D. Petri Sabatier Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri. Hoc de Opere ita Auctores doctiſſimi Florentini Excerptorum Litterariorum, Novembr. Menſis, Anni MDCCXLIII. *Ecco un Teſto della Scrittura, che ci mancava. I Benedettini ſoli erano in iſtato d' intraprendere una ſimil' Opera, perchè un particolare ſolo non avrebbe mai potuto fornire una tal carriera; non ſi trovando queſta Verſione che a frammenti nelle Opere degli antichi Padri Latini, cui biſogna per conſeguenza ſcorrere, e ſpogliare tutti, e eſaminare con occhi penetranti, critici, e pieni d' intelligenza.* An Sabaterius iſte præfixum ſibi attigerit ſcopum, non eſt meum definire. Dubito objici eidem poſſe, quod objicitur Nobilio; videlicet, de unica Verſione antiqua ex citationibus Patrum reſtituenda reſtaurandaque deſperandum; quod non eadem omnes uſi fuerint Verſione, non ſimilibus Codicibus; quare qui ſolis ex Patribus eorumque ex citationibus, Exemplar aliquod vetus redintegrare nobis ſatagunt, diverſis ex laciniis pannum conſuant, diverſiſque ex Interpretationibus unam inconſulto meditentur & male hauriant Verſionem. Vidit hoc magnus ille Vir, qui Cypriano ſuas adtexuit adnotationes, nempe Joannes Fellus, Oxonienſis Epiſcopus, ita qui in notis ad Præfationem Beati Martyris ſcribit ad Libros Teſtimoniorum III. *Sperabam quidem ex largo hoc quod in Tractatu iſto habetur Scripturarum Spicilegio, ad Verſionis Latinæ, quæ Hieronymianam præceſſit, reſtitutionem gradum aliquem præſtrui potuiſſe. Et certe, ſi modo ſibi ubique conſtaret Cypriani textus, loca illa quæ a Lectione Vulgata diſcrepare deprehenduntur, pro antiquæ Verſionis*

Digitized by Google

nis Reliquiis non immerito haberemus. Sed cum ea ſit Lectionum in MSS. Codicibus varietas, & plura ſimul occurrant quæ a Vulgatis diſcrepant; & in his quid a Cypriano ſcriptum fuerit, Codicibus ſibi invicem non reſpondentibus, minime conſtet: Porro cum primorum Sæculorum Patres in Sacris Scripturis laudandis diverſimode ſe habeant; curam hanc, ceu tantum non deploratam cenſemus. Nempe, quod, non memoriter & arbitrario, ſed diverſiſſimis ex Codicibus teſtimonia recitarent. Ut diſſentiunt vero qui ex Patrum citationibus veterem aliquem ſategerunt redintegrare Scripturarum Codicem, ab iis qui id impoſſibile exiſtimarunt; in eo conveniunt adhuc omnes tamen, ut Patres fidem in citationibus adhibuiſſe velint: quod agendi ratio laudatorum Editorum Scripturarum confirmat, ſive eorum, qui ad citationes Patrum Codicum citationes exigendas eſſe judicarunt.

Sed rem omnem optime conficere videntur immortales eruditiſſimi Joannis Erneſti Grabii labores, eorumque, qui, poſt ejus fata, Alexandrinum LXX. Interpretum Codicem in Anglia ediderunt; quod elaboratiſſimum Opus in Italicis noſtris Bibliothecis vehementiſſime doleo frequens minus eſſe, quum tot rejectamentis ceterum abundent, quæ Exteris relinqui potuiſſent. Quoniam vero conamur tenues grandia; contenti erimus exſcribere nonnulla ex Clerici excerptis: quare quid in præſenti Controverſia magni illi Viri ſenſerint, ſatis cognoſcatur. Præfixa priori Tomo eſt Diſſertatio Joannis Pearſoni, ad ſtudium Editionum LXXviralis Verſionis excitans, quam ad Diſſertationem, Clerici teſtimonio, Tomo XX. Bibliothecæ Novo-Antiquæ pag. 25. iſta pertinent: *Comme les Exemplaires MSS. de la Verſion des Septante, qui ſont venus jusqu' à nous, varient fort entre eux, Pearſon ſoubai-*

ſouhaitoit, que quelqu' un prît la peine de les collationner enſemble, & avec les Citations des Septante, que l'on trouve dans Philon, dans Joſeph, dans les plus anciens Peres, & dans les vieux Lexicographes; ſur quoi on en pourroit donner une Edition plus pure, que celle que nous avons. Oſtendens inde Alexandrinum Codicem, magis quam Romanum, veram repræſentare LXXviralem Interpretationem, hiſce verbis proſequitur Amſtelædamenſis Excerptor pag. 50. *C'eſt ce que M. Grabe a prouvè evidemment, en mettant en deux Colonnes, viſ-a-vis l' une de l' autre, les Leçons de ces deux MSS. & les varietez de Lecture des Jvifs, des Grecs, & des Latins, au deſſous de la page. Il pretend, que le Copiſte du MS. de Rome n' a ſuivi, ni l' Edition d' Origene, ni les Verſions d' Aquila, de Symmaque, & de Theodotion; mais l' Edition d' Heſychius, comme il le recueille des citations de S. Athanaſe, & de S. Cyrille, Patriarches d'Alexandrie. C' eſt ce que M. Grabe a recueilli des Citations des Anciens, ſur tout, part rapport aux Livres Hiſtoriques.* Et pag. 262. *Il y a d'aſſez longues citations de Job, dans l' Epitre de S. Clement Ch. XXXIX. & XLI. qui ſont plus conformes a l'Edition de Rome, & à d'autres, qu' au MS. d' Alexandrie. C' eſt ce qui á fait croire a notre Auteur, qu' a l'egard du Livre de Job, la Verſion Greque etoit meilleure dans le MS.* de *Rome, qu' en celui de Londres.* Pag. 269. *L' Edition d' Alcala eſt beaucoup plus complete, non par des addition des Modernes, mais parceque ceux, qui l'ont donnée, ont eu un Original plus complet; ce qui paroit par Clement Alexandrin, & par d' autres Peres, qui citent les endroits mutilez dans les autres Editions, tels qu' on les trouve dans celle d' Alcala. M. Grabe en cite divers endroits, qui ſe trouvent citez de la* même

Digitized by Google

même maniere dans S. Clement d' Alexandrie. Tomi denique III. Excerptum ita inchoat laudatus Clericus: *M. Lee, qui a publié le ſecond Tome de cette Edition des Septante, étant venu a mourir; un autre, qui ne ſe nomme pas, a donnè le troiſieme au Public. M. Grabe avoit bien le deſſein de publier ce Volume des Prophetes, avant les Livres qu' il appelle metriques, ou écrits en Verſ. Il les avoit deja collationez avec pluſieurs MSS. & avec les citations des Peres, & par le moyen de ces collations, il avoit corrigé, ou ſupplée quantité des paſſages corrompus, ou mutilez*. Plura adduci poſſent, niſi hæc ad ingenium rei manifeſtandum optime ſufficerent, adque evincendum, Heroas illos, hoc qui in pulvere tot annis, tot laboribus, & laude cum egregia ſudarunt, tantam habuiſſe citationum Patrum rationem, ut ex illis aut veram, aut vetuſtiſſimorum ſaltem Codicum Lectionem eruendam exiſtimarent.

Sed cur omittemus Millium, cujus haud minor laus ac parta ex labore fuit gloria in Editione Novi Teſtamenti, quam Grabio tributa fuerit ob Editionem Veteris; quique haud minus de diverſis Evangeliorum ac Ἀποστολικῶ Lectionibus ſollicitus fuit, quam alter de Variantibus Librorum Moſis atque Prophetarum? Loquitur vir maximus num. 1478. Prolegomenon de ſui Operis ratione, ubi hæc, inter cetera, etiam habet: *Et jam quidem immenſus plane ob oculos patebat campus. Adeunda erant, ex inſtituto, Patrum & Scriptorum veteris Eccleſiæ monumenta; e quorum nonnullis olim, animi cauſſa, Lectiones nonnullas haud aſpernendas extraxeram. Inſpiciendum & ſerio expendendum erat quicquid jam ab ipſis Canonis Novi Teſtamenti incunabulis, per varia Sæcula ſuccedentia, ab Auctoribus Eccle-*

cleſiaſticis non αὐτολεξεὶ modo citatum, ſed & obſcurius paulo adductum ſit e Libris Novi Teſtamenti, ut hoc pacto conſtet, quales magna ex parte fuerint quovis Sæculo Codices Græci, ut & Exemplaria Vulgatæ Verſionis. Laborem hunc, quam ingentem cunque, favente Deo, devoravimus. Et cum ſcripta priorum Eccleſiæ Sæculorum accurate legerimus, ipſorumque Lectiones cum Exemplaribus MSS. noſtris contulerimus; tum & in cæteris ita verſatos nos eſſe arbitror, ut in Eccleſiæ Latinæ pariter ac Græcæ Scriptoribus haud multa exſtent Novi Fœderis loca, ab ipſis allata, quæ obſervationem noſtram effugerint. In piſtrinum hoc (quod politioris literaturæ Viri dixerint) per annorum aliquot ſpatium detruſos, molamque jugiter verſantes, interpellat non ſemel ἐργοδιώκτης noſter optimus (loquitur de Fello) *& vi quadam amiciſſima veluti protrudit in prælum. Satis operæ Codicibus MSS. recenſendis datum eſſe: ſatis ſuperque temporis inſumtum Biblicis Verſionibus conferendis; multo magis corrogandis citationibus SS Patrum; qui quidem ipſi ſacras Scripturas neglectius, ex memoria, & ad ſenſum fere, non autem ad Exemplarium ſuorum fidem allegarint: (hæc enim erat præpropera ejus opinio, juxta cum aliis quibuſdam Viris eruditis, qui cum apud Veteres loca Sacri Codicis a Vulgato noſtro Textu diverſe haud raro prolata videant, illico Lectionibus ipſorum parum tribuendum arbitrantur) denique lautiſſima Lectionum Variantium ſupellectile nos jam inſtructos eſſe; neque reſtare quidquam, quam ut noſtra hæc complurium annorum collectanea typis demum tradantur, &c.* Præproperam en igitur Adverſariorum vocat opinionem Vir qui hoc in pulvere tot annos diligentiſſime ſudavit; qui novit certe, quid Patres in ratione citationum, quid Codices valerent; quique licet nonnullos

tan-

tantum, & quidem rariſſime, ad ſenſum Scripturas citaſſe ſuſpicatus ſit; errare eos ait aperte tamen, qui aſſerunt, id *ſæpeſæpius*, *ſæpenumero* acccidiſſe; ac inſtar effati univerſalis, ſeu legitimi pro authenticis Lectionibus dignoſcendis Canonis, volunt iſtud eſſe ſtatuendum. Verum quid ille de Patribus qui anſam huicce Diatribæ dederunt, videbitur in loco. Tantum hic addam quæ idem de veteri *Itala*, ſive *Italica* Verſione habet, circa tempora, ut ait, Pii Papæ concinnata. " Verſionem ipſam, inquit, quod attinet, adeo
„ mire tractu temporis interpolata erat a Librariis,
„ aliiſque, ut ipſius Textum genuinum haud alias jam
„ inveſtigare liceat, quam partim ex fragmentis ejus
„ quæ occurrunt in monumentis Patrum Latinorum,
„ partim ex MSS. Exemplaribus Translationis Ita-
„ licæ, qualis jam incedebat ante caſtigationem Hie-
„ ronymi (nam & ex his exſtat hodieque unum &
„ alterum in Galliis, penes Monachos Benedictinos;
„ unde editum nuper Matthæi Evangelium, & Epi-
„ ſtola D. Jacobi: hujuſmodi eſt Bezæ *Cantabrigien-*
„ *ſe*, *Claromontanum*, & *Actorum Apoſtolorum* anti-
„ quiſſimum noſtrum *Bodlejanum*, ut alia mittam)
„ adhibita in conſilium hodierna Vulgata, quæ, quan-
„ tumcumque vitiata, haud exiguam certe partem
„ retinet veteris genuinæ. Hujuſmodi quidem monu-
„ mentorum, accurate inter ſe & textu Græco com-
„ miſſorum, adminiculo, revocari etiamnum poſſe
„ videtur maxima ex parte *Itala* hæc, qualem eam
„ dedere primi Interpretes. Certe quidem, excuſſis
„ aliquot ex modo memoratis, aliiſque antiquiſſimis
„ Codd. ut & allegationibus Patrum vetuſtiorum La-
„ tinorum, unaque præterea & altera Verſione,
„ quibus haud parum affinitatis cum *Vulgata*, ex-
„ actiſque iis ſingulis ad fontem Græcum; in ea pro-

„ pe

„ pe ſum ſententia, aſſecutum me eſſe, quæ in ple-
„ riſque Novi Teſtamenti locis fuerint ipſius *Italæ*
„ genuina, & quibus Græcis Latina iſta reſponde-
„ rint". Hæc ille, num. Prolegom. 379.

Aliqua heinc oritur tamen, licet levis, difficultas; an videlicet, quum, me Judice, adeo de Patrum ac Veterum citationibus ſolliciti fuerint Sacrarum Auctores Editionum, proclive inde ſuſpicari ſit, arbitrarias potius hujuſmodi citationes ortum dediſſe nonnullis Editionum Lectionibus; haſque e citationibus Patrum derivatas magis, quam a Lectionibus Exemplarium, Patrum citationes. Utique & ſubitas haſce, quas immaginati nonnulli ſunt, Patrum citationes, Variantium inter origines enumerarunt. Clericus Tomo Bibliothecæ Antiquæ ac Hodiernæ XXII. de Pritii Introductione agens in Lectionem Novi Teſtamenti, pag. 76. hæc ſcribit: *Au Chapitre XXIX. aprés être convenu qu' il y a quantitè de Varietè de Lecture dans le Nouveau Teſtament, Monſieur Pritius en recherche les cauſes, comme avoient fait avant lui Sal. Glaſſius & Adam Rechemberg, qu' il rapporte aux Copiſtes, aux Peres, que la memoire peut avoir trompez, & qui mêloient quelque choſe du leur dans les citations, ſans s'attacher trop rigoureuſement à la Lettre, ou omettoient quelque choſe par inadvertence, ou avoient plus d'egard à la choſe, qu' aux mots, &c. aux Heretiques, qui gliſſoient quelques mots dans le Texte, pour favoriſer leurs Opinions, ou à d' autres accidens que l' on ne ſauroit deviner*. Simili ex principio factum, igitur, ut Lectionem, qua de egeram, Evangelii Joannis, ſuſpicatus fuerit Barzanus, non Irenæum ac Tertullianum e Codicibus, qui ſimiles forent MS. Veronenſi, in quo Lectio illa; ſed ex tumultuaria potius Patrum citatione Veronenſe in Exemplar fuiſſe derivatam.

Plura

Plura adhuc tamen ſunt, quæ ſuſpicionem hujuſmodi avertere ſtatim valeant. Unus aut alter modo Recentiorum Editorum e Patrum citationibus veteres Codices reſtaurari poſſe cogitavit: Ceteri contulerunt ſuos quidem Codices cum Patrum citationibus, ſed nullam ex eiſdem mutuati ſunt: Utrique, quod Patres antiquioribus uſos Verſionibus jure ac merito exiſtimarent. Quis enim adeo inſipiens aut prophanus eſſe poterat, ut Verbo Dei cogitata hominum voluiſſet ſubſtituere? Ceterum, non eadem ratio hodiernarum, antiquarumque Sacrarum Editionum. Novi Editores interpolata adeo mirati Exemplaria, ſuſpicatique Patres, fontibus viciniores, emendatioribus gaviſos Exemplaribus, ad eorum citationes confugerunt; id in Præfationibus aut adnotationibus teſtati. Nihil ſimile apud antiquos Editores; Exſcriptorumque modo munus erat, Codicem e vetuſtiore derivare Codice; deque Exemplaribus ſollicitos legimus Amanuenſes veteres, Librarioſque antiquorum temporum, numquam ex oppoſito de ratione qua quis potuiſſet ſatius citare. Id Tertulliani verba innuunt non ſemel, Hieronymi, Auguſtini, ceterorum Archetypis viciniorum. Verum, etſi vel antiquiores Emendatores Lectionem aliquam ad citationes Patrum duxiſſent exigendam; quare id, obſecro, factum voluiſſent, niſi quod illam ex magis emendato Codice derivatam a Patribus illis credidiſſent? Equidem potiore quam in Editoribus hodiernis jure, qui non tam Patrum Lectiones, quam earum Emendatores, aut Corruptores coguntur exſcribere. Verum hæc fulgentiorem ex dicendis accipient lucem.

Ad Theologos veniamus. Unum audire ſatis eſt, ſuperis Deorum gratum & imis, Melchiorem videlicet Canum, qui non ſemel Libro de Locis Theologicis

Digitized by Google

gicis II. genuinam eſſe aliquorum Vulgatæ locorum Lectionem, ex teſtimonio, ſeu ex conſonantibus Patrum citationibus evincit. Verum, ut acervum Theologorum una videas, adſeram quæ Dominicus Bannes in Commentariis ſcribit in I. Partem Angelici Præceptoris Thomæ, Art. VIII. de Vulgata loquens, a Tridentina Synodo conſecrata. Varias ille ſe referre ait Catholicorum Theologorum ſententias, Concilii definitionem explicantium, quas inter, hanc etiam legimus: *Dicunt ſecundo, Editionis Vulgatæ nomine eam intelligendam eſſe noſtris temporibus, quæ a tempore D. Hieronymi apud Sanctos Patres Latinos fuerit in uſu: ex quo infertur, quod Latinæ Editionis Vulgatæ in plurimis locis varia poteſt eſſe Lectio juxta varietatem Lectionis Sanctorum Patrum*. Nempe, hujuſmodi Theologi vel in eorum ſententia fuerunt, qui docuere, nec quidem unum Vulgatæ Librum eſſe omnino aut ex antiqua Verſione, aut ex nova Hieronymi; ſed quemcumque ex utraque eſſe ab incerto Auctore mixtum; quod Baronius voluit Tomo Annalium ſecundo: vel animadverterunt, nonnulla ex aliis Veterum Verſionibus fuiſſe in Vulgatam derivata; vel multiplicem, Librariorum incuria, fuiſſe, ante Carolum Magnum, Hieronymianæ Verſionis faciem; uti Cl. Vallarſius docet in Præfatione ad IX. Hieronymianæ ſuæ Editionis Tomum: vel alia ſimili fuere hypotheſi, aut ſatius veriſimillima imbuti opinione; quare jure optimo exinde conſequi viderent ætate ſua poſſe, varias eſſe dicendas Vulgatæ Verſionis plurimis in locis Lectiones, juxta varietatem Lectionis Sanctorum Patrum; quod ex multiplici Vulgatarum olim copia iidem eas eruiſſent; nempe non alia de cauſſa, eadem Lectio aliter apud diverſos legeretur, niſi quod in uno Vulgatæ nomine, diſſentien-

tes

tes inter ſe ſe, convenirent Codices. Nec extra ſuam tamen Provinciam evagatos hujuſmodi Theologos ſuſpicentur Criticorum filii: quam altis enim niteretur eorum Opinio fundamentis, ex iis quæ in loco dicenda hoc in Syntagmate erunt, dignoſcent, uti arbitror, ii etiam, qui, ex anticipatis opinionibus, nullas in Scholaſticorum luto latitare pretioſiſſimas poſſe arbitrantur gemmas.

CAPUT VI.

Præſtantiores Criticos Sanctorum Patrum citationibus, ceu idonea ac tuta uſos via, ad veterum Sacrorum Codicum Lectiones inveſtigandas. Peſſima oppoſitæ ſententiæ conſectaria.

ETſi Criticorum filii, qui Patrum citationes cum Codicibus contulerunt, ſtudia in id ſua inten- diſſe modo videantur, ut Lectiones genuinas a ſpuriis ac ſuppoſititiis ſecernerent, quod multorum inde ope Canonum præſtare perrexerunt; ea in medium tamen protulerunt, quæ opinioni noſtræ abunde favent, ac valent demonſtrare, in ea verſatos Viros Clariſſimos ſententia, ut uſurpatas a SS. Patribus Lectiones antiquis Codicibus reſpondere credant, & ab iiſdem fuiſſe depromtas; iccirco varietate citationum, quibus uſi Veteres, Lectionum varietatem procul dubio indicari. Chriſtophorus Matthæus Pfaffius in Diſſertatione, *De genuinis Novi Teſtamenti Lectionibus* Cap. XII. explicare pergens, *Allegationes SS. Patrum genuinam oſtendere Codicum Sacrorum Lectionem*, hæc habet inter

Digitized by Google

ter cetera : *Nunc ad exempla , quibus veritas noſtri Canonis demonſtratur , progrediendum eſt .* Matth. VI. 1. *Communis eſt Lectio:* προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν. *Sed præter quoſdam Codices MSS. & Vulgatam Verſionem , Patres legunt* δικαιοσύνην, *quæ vox dialecto, Chriſti tempore uſitatæ , magis reſpondet ; quum vocem* צדקה, *quæ apud Hebræos eleemoſynam quoque deſignat , egregie efferat . Unde probabile eſt , judicante etiam ita Joanne Millio, Criticum, vocem* δικαιοσύνην *haud ſatis intelligentem , ſuppoſuiſſe* ἐλεημοσύνην, *Patrumque Lectionem eſſe genuinam .* Marc. XVI. *inde a commate* 8. *poſteriori hemiſtichio in vetuſtiſſimis Codicibus MSS. cetera omiſſa fuere , ut ad Evangelium Marci haud pertinentia . Sed cum Irenæus , Athanaſius , Auguſtinus, & Theophylactus totam hanc recenſionem habeant ; non eſt , quod de ejus veritate atque auctoritate authentica dubitemus .* Luc. III. 36. *omnes Codices MSS. habent* τὸν Καϊνάν , *quem huc non pertinere ſatis , ut arbitror, oſtendit Hebraica veritas , & collatio Lucæ cum Genealogiis Veteris Teſtamenti . Solus MS. Codex Bezæ omiſit Cainanem , & quidem merito . Non enim fuiſſe eum in Codice Lucæ autographo, vel hoc ſolum oſtendit ; quod Cainan in Verſione LXXvirorum olim non exſtiterit , nec a Patribus hunc in locum admiſſus eſt . Certe omiſere Cainanem veteris Eccleſiæ Patres , Irenæus , Theophilus , Origenes , Clemens Alexandrinus , Euſebius , & forſan alii . Quibus argumentis perſuaſi Viri doctiſſimi , quos inter recentiores noſtræ ſententiæ eſſe ſcio , Daniel Whitbyus , & Joannes Erneſtus Grabe , Cainanem hunc incuria Librarii in textum admiſſum eſſe crediderunt .* Luc. X. 1. ἑβδομήκοντα *communis habet Lectio . Quidam vero Codices habent* ἑβδομήκοντα δύο. *Sed prior Lectio & MSS. Codicibus , & Verſionibus , maxime vero Patrum allegationibus confirmatur .* Jo. I.

Jo. I. 28. *ita legimus* : ταῦτα ἐν βηθαβαρᾶ ἐγένετο. *Alii Codices* βηθανία. *Quænam vero ex duabus hiſceLe-ctionibus ſit eligenda, docet Chryſoſtomus ita ſcribens*: ὅσα τῶν ἀντιγράφων ἀκριβέστερον ἔχει, ἐν βηθαβαρᾶ φησιν, ἡ γὰρ βηθανία οὐχὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου οὐδὲ ἐπὶ τῆς ἐρήμου ἦν, ἀλλ' ἐγγύς που τῶν Ἱεροσολύμων. *Ita & Origenes cum quadam* πληροφορίᾳ *Lectionem communem defendit in commate ad Joannem* ἐπείθημεν, *ſcribens*, μὴ δεῖν βηθανία ἀναγινώσκειν, ἀλλὰ βηθαβαρᾶ. Jo. XXI. 13. *dicitur Chriſtus panem ſumſiſſe. At de gratiarum actione nil ibi exſtat; quod alias tamen in Evangeliis fieri ſolet. Unde quidam Codices habent* καὶ, εὐχαριστήσας, *quod addidere, ne recenſio Joannis manca eſſe videretur. Sed verba hæc in autographo Joannis non exſtitiſſe, docent Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, alii*. Rom. IX. 5. *vocem* Θεὸς *quidam Codices omittunt; ſed ad textum pertinere oſtendit conſenſus Patrum*. Hucuſque Pfaffius, qui plurima eundem in ſenſum addit; quare optima lege denique deducat, ex Patrum citationibus veras cognoſci poſſe antiquiorum Codicum Lectiones. De genuinis Lectionibus tamen, atque veris, non eſt præſens Diſputatio; ſed de illis ſolum, quæ ab aliquo Codice derivatæ ſunt, & non temere prolatæ. Itaque miſſis pluribus teſtimoniis, quibus apud Patres veras extare Lectiones ſuadetur; Criticorum potius methodum oſtendam in antiquis Codicum Sacrorum Lectionibus inveſtigandis; qua utique videbimus, Ipſos, non tam MSS. veterum (ſi horum copia haberi in præſens poſſit; qua de re nimium dubito) ſed ipſarum magis allegationum quas fecere Patres, debitam ſane habuiſſe rationem; ſeu Lectiones Exemplarium potius ex Patrum citationibus, quam citationes Veterum ex reliquis Codicibus, critica lege, expendiſſe. Nec omnia tamen, quæ

exſcri-

exſcribi poſſent, adferam; ſed aliquorum modo cogitata colligam, verius eorum methodum proponam, quorum non jactes & genus, & nomen inutile.

Venit in Diſquiſitionem, an celeberrimum illud apud Joannem Comma, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo* &c. ad veram pertineat Lectionem, nec ne. Qui negant, ex ſilentio Patrum argumentantur. Dupinius in Prolegomenis ad Biblia Tomo II. Lib. II. Cap. 2. hæc habet. *Quoique l'Antiquitè & le nombre des Manuſcrits Grecs, ſoient de quelque poids, comme il n' y en a point neanmoins de plus ancien que de huit à neuf cents ans, on ne peut pas ſur leur ſeule autoritè rejetter un Paſſage, que l'on trouve dans des Manuſcrits Latins auſſi anciens. Il faut donc avoir recours au témoignage des Anciens; mais il n'eſt pas plus favorable a ce Paſſage; car on ne le trouve citè par aucun des Peres Grecs des trois premiers Siecles, ni par ceux du quatrieme & du cinquieme, qui n' auroient pas manquè de s' en ſervir contre les Ariens.... Ceux qui prétendent qu' il eſt ajoûtè, ſe fondent principalement ſur ce que les anciens Peres ne s' en ſont point ſervis.* Alii, ex oppoſito, contendunt, idem teſtimonium vetuſtiſſimis fuiſſe in Codicibus; quod vetuſtiores illud recitaverint Eccleſiæ Patres; certiſſimum indicium, eam demum apud diſſentientes etiam inter ſe ſe hujuſmodi Criticos veram ac germanam haberi viderique ſententiam, quæ apud Patres vetuſtiſſimorum inveniri textus Codicum docet atque pronunciat. Audiamus Calmetum in Diſſertatione ſuper illo teſtimonio, rationibus & auctoritate rem hanc apertiſſime declarantem. Scribit igitur: *Ad Patrum teſtimonia nunc progrediamur. Primo tamen cum D. Boſſueto Epiſcopo Meldenſi, in Cenſura contra Novum Simonii Teſtamentum, Patrum auctoritatem præ MSS.* ha-

habendam eſſe animadvertimus; *tum quod Patres ferme omnes MSS. quæ ad nos pervenerunt, vetuſtiores ſint: ubi enim illud MS. quod v. g. Tertulliani aut S. Cypriani ætatem attingat? tum quod Patrum teſtimonium cum eorum ætatum hiſtoriis, & cum ejuſdem temporis Eccleſiæ auctoritate cohæreat: unde etiam fit, ut Patres præ MSS. majorem ſibi vindicent fidem & dignitatem. Si Sanctus Cyprianus, & Tertullianus hunc verſiculum allegent; utique eorum ætate illum Exemplaria afferebant, iſque vel tunc Doctrinam & Eccleſiæ fidem referebat: non enim indifferens præbet, ſed noſtræ fidei Dogma præcipuum: quamobrem utrumque æque difficile ac arduum, vel ab Exemplaribus divellere, ſi aderat, vel iiſdem interſerere, ſi non adeſſet. Tertullianus huic loco alludit.... S. Cyprianus &c.* Boſſueti hac in parte Cenſuram exſcribam ex Encyclica ejus Italice verſa, in qua pag. CXI. hæc legimus adverſus Simonium, ejuſque Interpretationem Novi Teſtamenti: *Non ſi dee negare all' Autore una giuſta lode per avere additati i diffetti di certi Manoſcritti, a cui ſi attribuiſce autorità aſſai maggiore di quel che meriterebbero. Si dee pur lodare per averci addotte varie Lezioni, che autorizzano la Volgata, e l'antica Tradizione della Chieſa Latina. Contuttociò, a dire il vero, ſe egli non voleva con tante varietà di Lezioni, diligentiſſimamente da Lui ricercate, impicciare i ſuoi Lettori; che pure non ſaranno tutti dottiſſimi; nè indurli in ſoſpetto di qualche incertezza del Teſto medeſimo; doveva primieramente accertarli, che queſta varietà di Lezioni, eſſendo di coſe indifferenti, non muta la ſoſtanza, ed integrità del Teſto. E pure tal avviſo in neſſun luogo ſi truova. Doveva ſecondariamente inſegnar loro, che ſe per ſorte qualche notabi-*

Digitized by Google

tabile varietà ſ' incontra ne' Manoſcritti; *non pertanto ſi dee poſporre la vera Lezione, che agevolmente ſ' incontrerà ne' Padri, e nelle loro ſpiegazioni, che da gran tempo precedono i Manoſcritti. Ma il noſtro Autore non ſi cura di recar regole ſi evidenti, ed accertate*. Epiſcopi igitur Meldenſis ſententia, Patrum auctoritas in germanis Lectionibus inveſtigandis, ſecernendis, ſtatuendis, præ MSS. habenda; nec alia de cauſſa, niſi quod Patrum ætas præcedat ætatem illorum MSS. Codicum, quos habemus in præſens; nec aliquam Scripturæ allegare ſententiam cenſendi ſint, niſi Exemplaria, quæ præ manibus habebant, conſuluiſſent.

Sed animadverſionem addimus *ad hominem* prorſus, & hacce in re omnino neceſſariam. Qui ſinceritati teſtimonii favent, non aliud majus habent præſidium auctoritate Cypriani. Qui ex oppoſito ſinceritati verſiculi adverſantur, eodem ex Cypriano ſibi maximum hoc pacto conantur eruere argumentum. Cyprianus, inquiunt illi, non recitat ipſa Scripturæ verba. Itaque non legebat teſtimonium illud in Scripturis: itaque ejus in Codicibus non erat. Si fuiſſet enim; juxta phraſim, verbiſque Scripturæ illud recitaſſet. Audiamus ipſum ratiocinationis artificem Simonium, Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti Parte I. Cap. 18. *Après avoir examinè avec application l' endroit de Saint Cyprien, dont il ſ' agit, je n'y ai reconnu autre choſe, ſi non que ce Saint Evêque avoit ſeulement rapportè ces paroles*, " & hi tres unum ſunt, " *ſur les quelles il n' y a aucune conteſtation*; *& qu' il en avoit prouvè que le Pere, le Fils & le Saint Eſprit ſont une même choſe*. De Patre, *dit-il*, & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: "& hi tres unum ſunt". *Il a appliquè au Pere, au Fils & aut Saint Eſprit ce que nous liſons*

 dans

dans tous les Exemplaires ſoit Grecs, ſoit Latins, touchant le témoignage de l'eſprit, de l'eau & du ſang, dont il eſt dit qu'ils ſont une même choſe : " & hi tres unum ſunt". *Ce qui eſt bien different d'une citation expreſſe de ces mots, comme s'ils étoient du Texte de l'Ecriture*. Quid hiſce præconceptis concludit Simonius hoc in loco? Num Cyprianum memoriter, aut dimidiatum recitaſſe Joannis teſtimonium? Non ſane; ſed potius, *qu'il n'eſt pas croyable, que Saint Cyprien l'ait lû dans ſon Exemplaire du Nouveau Teſtament*. Verum ſi legitima eſſe debet conſequutio hujuſmodi, præconceptum debet principium illud eſſe, nempe Patres *ad verbum* Scripturæ teſtimonia recitare ſollicitos fuiſſe, Textuſque phraſi examuſſim adhæſiſſe. Ex oppoſito, ſi, uti Barzanus oſtendere conatur, in Adverſariorum numero cenſendus eſt Simonius; quo loco habendum erit ejus ratiocinium, totque ejus, ſuperiori ſimiles, conſequutiones?

Sed quod peremtorium eſt: ſunt qui negent verſiculum illum, Joannis fœtum eſſe; etſi fateantur a Patribus relatum; quin inferri ſinant adhuc, eos illum retuliſſe temere, aut ex Evangelii doctrina eos ſuapte ſponte ſententiam efformaſſe illam; ſed ſolum conſequi poſſe ducant, a Codicibus jam interpolatis, & additione illa auctis, comma mutuatum. Hos inter eſt Samuel Chandlerus, Præfatione in Complexiones Caſſiodorii, ita ea de re ſive citatione ſcribens: *Sed tempore Caſſiodorii in quibuſdam latinis ſaltem Exemplaribus extitiſſe, omnino credendum eſt; alioquin certe non allegaſſet Vir doctus, & pietatis laude merito venerandus. Vereor tamen, ut Controverſia hinc dirimi poſſit; quod ante id Sæculum Codices Novi Fœderis Latini fuerunt admodum corrupti. Et ſi, quod contendit Maffejus, verſus iſte ab Italica antiqua depromtus fuerit*,

Digitized by Google

fuerit ; *ea certe*, *Hieronymi ætate*, *adeo erat mendis referta*, *ut Pater ille doctus*, *atque etiam Papa Damaſus neceſſarium duxerint*, *ex Græcorum Codicum fide eam emendare*. Tanta profecto, vel in haud modica opinionum diverſitate, relate tamen ad ſententiam noſtram Criticorum hominum conſenſio evincit locupletiſſime, aut ego fallor, ſummam Patrum in ratione citandi Scripturas fidem atque diligentiam.

In examen revocata non ſemel fuit Lectio illa Pſalmi XCV. *Dominus regnavit a ligno*. Germonius in Tractatu de Veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum Corruptoribus Lib. I. Part. II. Cap. 1. eas voculas *a ligno* noſtris in Bibliis jam non haberi candide fatetur; *tamen*, ſubdit, *in Pſalterio veteri exſtitiſſe diſcimus*, *quod eas recitarint Tertullianus*, *ignotus Auctor Tractatus de Montibus Sina & Sion*, *Auguſtinus*, *Leo Magnus*, *Gregorius Magnus*, *& alii*. Nobilius in adnotationibus ad Sixtinam LXX. Editionem, anni 1568. hæc, ad illa Pſalmi XCV. verba, habet: *Apud Sanctum Auguſtinum*, *& in Pſalterio veteri*, *& Romano ſequitur*, a ligno, *eoque modo affertur a Sancto Cypriano*, *Juſtino Martyre*, *Tertulliano*, *Sancto Leone Papa*. Joſephus Blanchinus in adnotationibus eundem ad Verſiculum juxta Vulgatam antiquam Latinam & Italam Verſionem, contendit in Occidentalium Codicibus Eccleſiarum, aliquot per ſæcula, Lectionem ſubſtitiſſe illam, *ut colligitur*, inquit, *ex antiquis Patribus*, *præſertim vero ex S. Auguſtino in hunc locum*, *ex S. Leone Sermone IV. de Paſſione Domini*, *ex Tertulliano*, *Ambroſio*, *&c.*

A laudatis Viris diverſa verſatur in ſententia Cardinalis ampliſſimus ac doctiſſimus Quirinus. Hic ſua in Epiſtola ad Virum Cl. Claudium Bozium Regiæ Pariſienſis Academiæ Bonarum Litterarum antea Se-

cretarium, tunc Directorem data, eam deſcribit quam illo anno Romæ ſuſceperat curam in expendendo textu S. Ephræm, quem ſcilicet exhiberent Vaticani Codices illi, in quibus reperitur ejuſdem Patris Sermo primus de Reſurrectione, ſive, ut etiam inſcribitur, *In pretioſam & vivificam Crucem*, inſpecturus, num eorundem auctoritati Lectio, *Dominus regnavit a ligno*, inniteretur. Miratur idem Purpuratus id ſibi perſuaſiſſe quamplurimos (Blanchinum præſertim innuebat) poſtquam Gerardus Voſſius, ejus Sermonis Interpres, eandem Verſioni ſuæ, nihil prorſus hæſitans, inſerere non dubitavit; & adeo quidem non dubitavit, ut illam vere genuinam eſſe Sancti Ephræm in ſcholio confidenter adnotaverit. Scribit igitur Eminentiſſimus Quirinus: *Quicumque ſcholium hoc legerit, certo certius putabit, Lectionem a* ligno *in Vaticanis Codicibus, eum Sancti Ephræm Sermonem præferentibus, deprehenſam a Voſſio fuiſſe. At ea contra carent ii omnes, ne uno quidem excepto, quos diligenter inſpexi. Quid ad hæc doctiſſimus Pater Turneminius, ſi in vivis degeret, reſponderet? Quid, ſi adderem, eandem æque deſiderari, quemadmodum in Anglicis Codicibus, unde deſumta eſt Editio Oxonienſis Sancti Ephræm, ita in Veneto Bibliothecæ Sancti Marci, quem conſulendum curavi?* Gallico autem Scriptori, objicienti Juſtini teſtimonium, & illas voces a Judæis ablatas ſuſpicato, reſpondet Cardinalis: *Turneminio ultro dabo, additionem lectam fuiſſe a Juſtino in Græco aliquo Exemplari. At minime admittam, ex docti Rabbini ſilentio arguere licere, eundem confeſſum fuiſſe falſitatis crimen, quod Genti ſuæ objecit Juſtinus &c.* Itaque quod in Codicibus Sancti Ephræm abs ſe inſpectis voces illæ non comparerent, hiſce concludit doctus Cardinalis: *Nemo non videt, quam juſta ſuſpicio ſit, quam probarunt Faber Stapulenſis,*

lenſis, Auguſtinus Juſtinianus, Simeon Muiſius, ac poſtremo (ut alios omittam) Auguſtinus Calmetus, ex chriſtiana devotione primum ad oram Libri adnotatum fuiſſe a ligno, *deinde ex ea ora in ipſum Pſalmi textum irrepſiſſe*. Hac vero ex Controverſia clare apertiſſimeque apparet, quantum ſive ajentium, ſive negantium etiam animo inſederit, Sanctos Patres in recitandis Scripturæ Sacræ teſtimoniis adhæſiſſe Codicibus, ſaltem quos habebant, ac Verſionum textubus. Voſſius, Germonius, Blanchinus, Torneminius verba *a ligno* Sacro in Textu fuiſſe autumarunt; quod ea in Sancti Ephræmi Codicibus invenerint. Quirinus ex oppoſito, Faber, Muiſius, Calmetus negant; quod in inſpectis abs ſe illius Sancti Patris, ac ceterorum vetuſtiſſimis Codicibus eadem non viderint. Utri eorum palmam concedas; victi tamen ſemper ſunt noſtræ Theſis Adverſarii, qui fateantur oportet, ex citatione Patrum pendere antiquarum cognitionem Lectionum atque Codicum. Doctiſſimus Quirinus ultro, uti ex ejus verbis vidimus, Torneminio conceſſit, ideo propugnatam Lectionem a Juſtino; quod illam ita ipſe legerit in Græco aliquo Exemplari. Itaque, Quirini etiam ſententia, ex Codicum ſuorum fide & inſpectione Patres certiſſime diſputabant: Haud tumultuario igitur ac memoriter teſtimonia recitabant Scripturarum.

Confirmabimus hocce vehementer, integris relatis Criticorum verbis ſuper altera Lectione; quæ quidem verba male truncavit, bona fortaſſe fide, uti cenſeo, Barzanus. Tertullianus in illo ipſo de Carne Chriſti Libro, vix ante verba Joannis, de quibus mihi cum Barzano eſt Controverſia, teſtimonium refert, quod ad verbum, ut ajunt, non invenitur in Codicibus hodiernis: Inquit enim, ceu ex Scriptura: *Quod in carne natum eſt, caro eſt; quia ex carne natum eſt: Et*

quod

quod de Spiritu natum eſt, Spiritus eſt; quia Deus Spiritus eſt, & ex Deo natus eſt. Quid Barzanus ad iſta? Immo teſtimonio hoc, ceu luculentiſſimo apertiſſimoque utitur exemplo, quo Septimium oſtendat memoriter recitare, arbitrario, tumultuario, & Scripturæ verba ſuis immixta referre. At inprimis lectionem hanc exſtare in Codice MS. Evangeliorum latino, longe antiquiſſimo, Bibliothecæ Bodlejanæ, monuit Millius ad Joannis Caput III. 6. Deinde Doctiſſimus Germonius in Tractatu de Veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum Corruptoribus Lib. I. Part. II. Cap. 5. ex hoc ipſo teſtimonio Tertulliani, ita olim, ſeu, hanc olim Lectionem in vetuſtiſſimis Scripturarum Editionibus fuiſſe contendit. *Hæc verba*, inquit, *extitiſſe olim in pluribus Eccleſiæ ſaltem Occidentalis Codicibus, atque ex his detracta fuiſſe Arianorum fraude Ambroſius diſerte affirmat in Libro tertio de Spiritu Sancto. Porro in nullis jam Sacrorum Bibliorum Exemplaribus exſtant: exſtabant tamen ante Arianorum tempora, ut Tertullianus teſtis eſt Libro de Carne Chriſti cap. 18. & Nemeſianus a Thubunis in Synodo quæ Carthagine habita eſt anno 256. & alii. Quæ verba idcirco fortaſſe non ſunt reſtituta in Vulgata Editione Latina, quia non ſatis aperte conſtabat, in textu Græco olim exſtitiſſe: quamquam certum eſt perdiu lecta fuiſſe in veteri Itala Interpretatione, ex qua Arianorum fraude ſublata ſunt*. Videtur ſe opponere Germonio Coutantius in Vindiciis veterum Codicum confirmatis, ac contendere tale nil Arianos ab Joannis Evangelio ſubtraxiſſe. Exultat heic Barzanus, creditque Germonianam ſe doctrinam jam evertiſſe. Quare Germonii relata opinione Numero Diſſertationis ſuæ XL. iſta ſubjicit: "Audi nunc Coutantium": *Suſpicio non deeſt* ("verba ſunt Coutantii") *verba illa*, "quia ex carne natum eſt", *nec non iſta*, "quia Deus Spiritus

ritus eſt, & de Deo natus eſt" , *a Tertulliano non ex ipſo Joannis textu deſcripta , ſed ad eum explicandum παραφραστικῶς addita fuiſſe; atque hac Paraphraſi , utpote a verbis divinis non ſatis diſtincta, deceptos nonnullos eam pro ſacro textu accepiſſe , & ſacrarum paginarum Exemplaribus inſeruiſſe.* Bene habet ; ſed hiſce verbis alia ejuſdem Scriptoris addenda ſunt : primum nempe quod eadem Parte II. Cap. 3. ſubjicit : quæ apud Tertullianum illo in loco ſunt additamenta , *neſciunt Hieronymus , Auguſtinus , aliique Latini Patres, quos hic recenſere longum eſſet, & omnes Græci.* Et Capite 13. Partis IV. eadem de materia agens , *ubi Ambroſium audio*, inquit, *cum Arianis expoſtulantem, quod e Joannis Evangelio verſiculum ſubtraxerint , quem neque Hieronymus in Palæſtina , neque Auguſtinus in Africa , neque ulli Patres Græci in quavis Orientis regione legerint , quemque in nullo cujuslibet idiomatis aut linguæ Exemplari jam offendere eſt ; Ambroſium falſa ſuſpicatum cenſere malo, quam de Sacrorum Eccleſiæ Catholicæ Codicum integritate ambigere.* Alterum addendum etiam, quod Coutantius priore in loco ſcripſerat; ubi poſtquam ſe dubitare innuerat , verba illa noſtris ab Codicibus diverſa, ipſius potius Septimii fœtum eſſe; ſtatim ipſe ſe corrigens, ſubjecit: *Sed eſto, Tertullianus nihil παραφραστικῶς dixerit , ac Joannis locum , ut in Exemplari ſuo legebat laudarit &c.* Ex citationibus igitur Patrum de veritate hujuſmodi Lectionis diſputandum Germonii Adverſarius quoque exiſtimavit. Tertullianum Joannis locum , uti in Exemplari legebat ſuo, laudaſſe, Germonio concedit; Lectionem ex Patribus in Exemplaria inſertam contendit potius quam ſtatuat Patres ex memoria Scripturæ loca recitaſſe; contentus, ſi Codices , illius Lectionis expertes , a corruptione immunes tueatur .

Verum

Verum vide, quid in Barzano noſtro valeat ſuſceptum onus negandi, Joannis locum *natus eſt* in aliquo fuiſſe olim Evangeliorum Exemplari. Animadvertit ipſe, eodem Diſſertationis numero, laudatis Patribus locum quo de agimus juxta Tertulliani lectionem recitantibus, addi poſſe Vercellenſe Apographum, S. Euſebii manu, ut fertur, exaratum, quod hoc comma complectitur, *quia ex carne natum eſt*, & alterum, *& ex Deo natus eſt*. Recitatis inde quæ nos retulimus, prioribus illis Coutantii verbis, ita pergit: *Hæc doctus ſapienſque Monachus, nondum Lectione Vercellenſis Apographi detecta. Quæ ſi innotuiſſet, aliter necne eum ſenſurum fuiſſe arbitraris?* Quæ interrogatio! Sane non aliter eum ſenſurum fuiſſe arbitrarer, ac ſenſit; Nempe, gaviſus fuiſſet optime conjeciſſe ſe de Exemplari diverſam illam Lectionem Patribus ſubminiſtrante. Senſurum fuiſſe arbitrarer, Codicem Tertulliani ſimilem fuiſſe Codici Vercellenſi; ſenſurum fuiſſe denique, quod veritate ac luce rei percitus ſenſit ipſe Barzanus, qui Numero Diſſertationis ſuæ XXXV. de Commate Matthæi X. 29. agens, quod ita ab Irenæo Lib. II. Cap. 26. recitatur: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex his non cadet ſuper terram ſine Patris veſtri voluntate*; hoc enarrans, inquam, iſta ſubjicit Barzanus: *Hæc poſtrema vox in hodiernis Novi Teſtamenti Codicibus omnino deeſt; attamen ægrius inficiarer, quondam in aliquibus fuiſſe. Præterquamquod enim dictæ Lectioni Irenæus iterum, Tertullianus haud ſemel, Novatianus, Cyprianus, aliique teſte Maſſueto, favent; ita etiam habet Arabica, hinc & antiqua Italica Evangelii Matthæi verſio, ex veteri MS. an.* 1695. *Pariſiis edita.* Cur itaque & Lectionem *natus eſt*, diverſam licet a Lectione hodiernorum Codicum Novi Teſtamenti, inficiaris inde fuiſſe quondam

dam

dam in probato aliquo Exemplari; quum & illi non iterum, ſed ter ipſe Tertullianus faveat, quinquies Irenæus, ſemel Auctor Dialogorum de SS. Trinitate, alii, & ita etiam habeat antiquiſſimum Exemplar Veronenſe? Cur id, inquam, inficiaris Barzane? An quod primum ex Maſſueto habes, alterum non item? Nil turpius ſervitute iſta. Sed de Lectione *natus eſt* in loco. Nunc cœptum diſputandi genus proſequi conamur.

Quam, obſecro, latam portam aperiemus falſis Opinionibus ac Syſtematibus, conceſſo ſemel principio illo, nullam habitam a Patribus textuum ac Sacrorum Codicum rationem! Quam vaſtus aperietur errorum ac peſſimarum Diſputationum campus! Clericus idem ille, qui temere citaſſe Patres adeo aperte, iterato etiam pronunciat, eorum ad ſinceras citationes cogitur confugere, ut eorum oppugnare valeat errorem, qui prioribus Chriſtianæ Religionis annis concinnatum negabant Græcum Evangelii Matthæi textum. Tomo ſiquidem Univerſalis Bibliothecæ XII. pag. 425 hæc docere minus dubitavit: *Il eſt treſ-probable, qu' il n' y avoit qu' une Verſion de S. Matthieu depuis le premier Siecle 1. parce qu' il ne reſte aucun fragment d' aucune Verſion dans les Anciens: 2. parce que toutes les Egliſes, depuis le ſecond Siecle, ſe ſont ſervies du texte que nous avons aujourdhui, comme il paroit par les citations des Peres, qui s' accordent avec notre Exemplaire, excepté en quelques varietez peu conſiderables: 3. parce que S. Ignace, qui a veçu ſur la fin du premier Siecle, cite quelques endroits de S. Matthieu de même qu' ils ſe trouvent aujourdhui dans nos Exemplaires. Dans ſon Epitre a ceux de Smyrne, il dit que Jeſus Christ a été baptizé par Jean,* a fin que toute juſtice fut accomplie par Lui. ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη

καιοσύνη ὑπ' αὐτοῦ. Matth. III. 5. *S. Ignace cite auſſi dans ſa Lettre a Polycarpe* Matth. X. 16. *& dans celle qu' il adreſſe aux Ephesiens* Matth. XII. 33. *ſans s' eloigner du Grec d' aujourdhui. S. Barnabè le cite ſous le nom d' Ecriture*. Quotquot etiam de vetuſtate Græcæ Matthæi Editionis ſolliciti fuerunt, ſive Originalem eam inde textum, ſeu crediderint Verſionem, citationes, ut ita dicam, verbales Patrum, ceu validiſſimum tulerunt argumentum.

Doduvellus Diſſertatione I. in Irenæum in eam lapſus fuerat opinionem, ut Evangelia nonniſi Trajani tempore cognita, ac per Eccleſias diſſeminata fuiſſe, ſtatuiſſet perperam. Cetera inter, quæ adverſus abſonam adeo opinionem opponit Jacobus Baſnagius, ipſa profecto teſtimonia Evangelii ſunt, quæ Patres, qui ante Trajani floruere tempora, ipſis ex fontibus examuſſim recitarunt. Ita enim Auctor ille Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. VIII. Cap. 4. *On battit ſur un faux fondament, quand on dit, que ni Saint Ignace, ni S. Barnabè, ni S. Clement, ni S. Polycarpe n'ont pas citè les Evangiles. Nous nous ſervirous des Epitres de S. Ignace, & de S. Barnabè; puiſqu' on les produit ſans ſcrupule. Le premier a citè ces paroles des S. Jean.* " La „ parole a etè ſaite chair, elle a habitée parmi nous. „ Detruiſez ce temple, je le rebatirai an trois jours. „ Quand je ſerai elevè de la terre, je tirerai toutes cho„ ſes apres moi ". *Cependant cet Evangile devoit etre le moins connu, puiſqu' il avoit etè ecrit le dernier; & les citations en ſont ſi formelles, qu' on ne peut nier, qu' elles ne ſoient de Saint Jean, puiſqu' on raporte des termes, qui etoient particuliers a cet Apôtre. Ces ne ſont pas les ſeuls endroits qu' il ait indiquez. L' hiſtoire de la tentation qu' il raporte, eſt tirée mot-a-mot de S. Matthieu. Il cite les propres termes de Saint Luc dans les*

Actes:

Digitized by Google

Actes: „Il t'eſt dur de regimber contre les aiguillons“. *S. Barnabé, qui paroit le moins chargé de citations du Nouveau Teſtament, parce qu'il ſe plaiſoit fort a tirer des allegories de la Religion Judaïque, ne laiſſe pas de raporter ces paroles de Saint Matthieu*: „Il y en a beau-„ coup d'appellez, & peu d'elus“. *Il cite Saint Luc, qui fait dire a Jeſus Chriſt, qu'* „il eſt venu pour ap-„ peller les pecheurs, & non les Juſtes“. *S. Polycarpe raporte un morceau du Sermon de Jeſus Chriſt ſur la montagne, dans les mêmes termes que Saint Matthieu. Il cite ſes paroles du Chapitre* 26. „L'eſprit eſt promt, mais „ la chair eſt foible“. *Il ſe ſert des memes expreſſions que Saint Luc a employées contre les jugemens temeraires*: „Ne jugez point de peur que vous ne ſoyez jugez“. *Enfin Clement Romain cite des longs paſſages tirez de l'Evangile de Saint Luc, & de Saint Matthieu, qui ne permettent pas de douter qu'ils ne lui fuſſent connus.* Idem Jacobus Baſnagius Lib. IX. Hiſtoriam Verſionum contexens, variam oſtendit earum fortunam ex uſu quem earundem Veteres fecerunt; quos diverſis Codicibus adhæſiſſe quidem fatetur, Codicibus tamen adhæſiſſe ſemper, non dubitat. Ejus vero animadverſiones libentius refero; quod ipſum a noſtris profeciſſe candide faſſum videam, ſcribentem ſcilicet in illius Libri Præfatione: *Nous avons emprunté les remarques des Critiques modernes, comme celles des Anciens, ſans negliger ceux que la difference de Communion rend ordinairement ſuſpects: & ſi d'un coté nous avons ſuivi Blondel, Aubertin, Daillé, Larroque, Mrs. Stillingfleet, Doduvel, Spanheim, ces ſavans Reformez qui ont penetré juſqu'au fond de l'Antiquité Eccleſiaſtique, & qui en ont tiré des fortes preuves pour la verité; nous reconnoiſſons auſſi, que nous ſommes treſ-redevables aux Marca, aux Sirmond, aux Valois, a Mrs. Noris, Pagi,*

Baluſe,

Baluſe, *Mabillon*, *qui ont deterrè un ſi grand nombre d'anciens monumens*, *& dont les decouvertes nous ont etè fort utiles*.

Accedit demum, in Adverſariorum Syſtemate potiſſimam deficere genuinarum Elucubrationum Patrum dignoſcendarum, atque a ſpuriis ac ſuppoſititiis diſtinguendarum Regulam, ex Editionibus videlicet Scripturarum, quas legimus eorum in Operibus citatas; quo utique firmiſſimo Canone Critici definiunt, cui ætati ſint fœtus illi aſſerendi. Sic plurimas Romanorum Pontificum, ut ajunt, Decretales, ceu nothas, reiiciunt univerſi prorſus Sapientes; quod in eiſdem citentur Scripturarum teſtimonia juxta Vulgatam Editionem, quæ nonniſi VI. Sæculo cæpit in Eccleſia legi. Sic Libros ſex *De Sacramentis* alteri ab Ambroſio Mediolanenſe fore adjudicandos, Epiſcopo videlicet poſterioris ætatis, ſtatuunt iidem Critici; quod maxime in eiſdem Auctor haud ſemel Vulgata Bibliorum utitur Editione, quæ utique nec primas ſuas Ambroſii ætate ſortita fuerat cunas, diuque poſt locum in Eccleſia habuit. Sic *Opus imperfectum in Matthæum* Chryſoſtomo abjudicant; præcipue quod Operis illius Auctor Vulgata Latina utitur Interpretatione; quod quidem ab uſu Chryſoſtomi quammaxime alienum. Cl. Pius Thomas Milante in adnotationibus ad Lib. III. Bibliothecæ Sanctæ Xyſti Senenſis hæc ſcribit: *De Auctore explanationis in Leviticum non eſt una Criticorum ſententia. Nonnulli, quos ſecutus eſt noſter Xyſtus, Heſychio Jeroſolymitano adjudicant; alii vero Heſychio Salonitano, ex eo præſertim, quia in eo Opere offenditur Verſio Hieronymi, quæ tempore Heſychii Jeroſolymitani non erat in Eccleſia recepta; nec poterat quidem hic ea uti, qui ceu Græcus, nonniſi LXX. Verſione utebatur, & Græce ſcripſit. Quare ad utramque conciliandam di-*

ſparem

ſparem opinionem, dicendum cenſeo; quod utique Heſychius Jeroſolymitanus præfatum Opus Græce edidit, in Latinum autem vertit Salonitanus, Hieronymi Verſione uſus. Annotationes in Librum Regum & Paralipomenon falſo Hieronymo adſcriptas evincit Xyſtus Senenſis Libro Bibliothecæ Sanctæ III. quod Hieronymus in Adnotationibus, quas ſcripſit in Geneſim, Hebræa paſſim & Græca Divinæ Scripturæ teſtimonia profert Hebraicis ac Græcis verbis expreſſa, expendens ubique varias diverſorum Interpretum Translationes; quarum rerum nullam laudatis in Annotationibus mentionem reperies: Commentarium item in Job Stridonenſis non eſſe, quod nec LXXviralem Editionem, nec Hebraicam ſequatur Veritate m; quod Hieronymo familiare. Librum contexerem, ſi Opera enumerarem Auctoribus adjudicata vel abjudicata ex Editione Scripturarum, quam citabant. Hocce Canone utuntur perpetuo qui Bibliothecarii audiunt, Miræus, Bellarminus, Poſſevinus, Dupinius, Oudinus, Ceillerius, alii Critici, qui de Patrum Operibus pertractant. Evaneſcit ille vero, ſemel præconcepto, Patres non ex Editionibus citaſſe ſuis, Scripturæque teſtimonia ex ſuorum Verſionibus temporum non recitaſſe. Jam tum confuſio oritur; neſciaſque an ex Editione loquutus fuerit vetus Scriptor; an vero ex veteris Scriptoris citatione, orta recentior Editio: quam quidem confuſionem in Critices Regulas invehere, quis pernicioſum neget ſententiæ oppoſitæ conſectarium?

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quid authenticæ Lectiones Scripturarum apud veteres Scriptores? Ex multiplici, quæ apud Chriſtianos obtinebat olim, Editionum Bibliorum copia, & ex earum diverſitate, promiſcuoque ac ſimultaneo apud Patres uſu, ortam Lectionum, quæ eorum reperitur in Operibus, diverſitatem.

MAgno apparatu Cl. Barzanus, poſt Grotium, Baſnagium, & Frickium, num. Epiſtolæ ſuæ XLII. oſtendere conatur, vel Tertulliani ætate, ſaltem probabile fuiſſe, Eccleſiarum in Tabulariis ipſa Librorum ſaltem aliquot Sacrorum Archetypa exſtitiſſe, quibus dirimi potuiſſent Controverſiæ, & hæſitantium tolli dubitatio. Adverſatur huic Opinioni in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti Cap. IV. non defunctorie Simonius. Ut-ut vero palmam huic concedere non velis, ubi veriſimilitudinem illam inficiatur; at, mea quidem ſententia, victor eſt, ubi contendit, veteres Eccleſiæ Patres, illis Archetypis uſos minime fuiſſe, vel quum adverſus Hetherodoxos diſputarent. Non arbitror, Barzanum proclivem ad credendum eſſe, Tertullianum Originalibus Evangelicis Codicibus fuiſſe uſum: ſic enim contra ſe pugnaret; quia quum Septimius aliter legat atque noſtri Codices, qui certe, uti oſtenſum ſatis, cum Archetypis non confundendi; ſequeretur, Lectionem *natus eſt* authenticam non modo, ſed germanam ſolam debere dici, ac veram. Fuerint tamen, aut non fuerint Tertulliani tempore

in

in aliquibus Eccleſiarum Tabulariis Sacra Originalia; id neque ad præſentem, neque ad editam pertinet Diſputationem. Totum Cl. Barzani Opus eo ſpectare videtur, ut oſtendat, Lectionem Tertulliani, Irenæi, Auctoris Dialogorum veram ac germanam non eſſe; noſque in oppoſita verſatos ſententia arbitratur. Sed tale quid ne per ſomnium quidem aut cogitamus, aut umquam cogitavimus. Nomine *authenticarum Scripturæ apud Patres Lectionum*, intelligimus Scripturarum teſtimonia, ab aliqua Editione, ab Interpretatione aliqua, ab aliquo demum, ſeu incorrupto, ſeu interpolato alicujus ſaltem Verſionis Textu derivata; uti ita derivata diſtingui ſat a Lectionibus poſſint, quæ quis imaginaretur arbitrario, memoriter, ac tumultuario pronunciata. Etſi enim nobis poſt Hebraicos Græcoſque fontes, ſolæ Vulgatæ Editionis Lectiones ſint authenticæ; non ita tamen Patribus primorum temporum. Nam cum vox *authentica*, quæ propria Juriſconſultorum eſt, Inſtrumentum denotet, quod in Judicio aptum eſt fidem facere, ſeu fide dignum; & hujuſmodi ſuas Patres exiſtimaverint, pro illorum moribus, libertate, ac œconomia temporum, Editiones; authenticas duxerunt etjam Lectiones ab Editionibus illis derivatas.

Hoc oſtenſuri, ad totius Diſquiſitionis cardinem accedimus. Nec enim alia vehementiori de cauſſa aguntur illi Critici, qui Patres tumultuario ac memoriter Scripturarum teſtimonia recitaſſe docent; niſi quod eadem divini Verbi ſententia, non modo aliter in unius Patris Operibus legitur, atque legatur in operibus alterius Patris; verum (quod mirum magis) aliquando ab eodem Sancto Patre diverſimode eadem referatur: quod indicium videtur eſſe vehemens, tunc ſaltem Eccleſiaſticos Scriptores nulla

ratione de Scripturarum verbis fuiſſe ſollicitos. Haud defuere vero Viri Critici, qui hoc idem probe quum animadvertiſſent, eam id explicandi rationem inierunt, qua illa citationum diverſitas cum fide Patrum in citandi ratione poſſet adhuc tamen conciliari. Simonium audire oportet in Hiſtoria Critica præcipuorum Exegeticorum, cujus ex teſtimonio duplex in hac re eruitur ſententia. Ita igitur Cap. IX. *Eraſme ſe trompe, quand il aſſûre, qu' il n' y avoit point au tems de Saint Hilaire de Verſion Vulgate, dont on ſe ſervoit communement dans l' Egliſe Latine; parce que ce Pere cite la Bible autrement que Saint Cyprien, S. Auguſtin, S. Ambroiſe, & Tertullien, qui paroiſſent avoir eu chacun une Traduction differente*. Cum Cypriano, *dit ce Critique Præfat. in Origen.* ſua ſit translatio, cum Auguſtino ſua, cum Ambroſio ſua, cum „ Tertulliano ſua ab omnibus diverſa; ſatis apparet, „ olim nullam fuiſſe communem omnium". *Comme ces Peres ont tous entendu la langue Greque, exceptè Saint Auguſtin, ils ont conſultè l' Original Grec: & c' eſt ce qui fait, qu' ils ne ſuivent pas avec tant d'exactitude la Verſion Vulgate, qu' on liſoit dans les Egliſes Latines, que ceux qui ne ſavoient point cette langue. L' on peut voir ce qu' on a dit la-deſſus dans la ſeconde Partie de cette Hiſtoire Critique*. Reapſe, more ſuo, idem repetit non ſemel, ac ad nauſeam, Simonius.

Pamelius, Tertulliani Editor, ipſum animadvertens Scripturæ loca conſtantiſſime in medium producere ex Verſione, a noſtra prorſus diſſimili ac diverſa; illam vero Lectiones ita efferendi aſſiduitatem, illam in verbis, ipſiſque repetitam in terminis conſtantiam, denotare, eaſdem non arbitrario nec improviſo efformatas; arbitratus eſt, Septimium, tam in Vetere, quam in Novo Teſtamento recitando, ſua propria ex Græ-

co

co Tranſlatione uſum: quare quum Scripturarum Indicem in Sanctum Cyprianum, qualem ipſe ediderat, gratum fuiſſe pleriſque intelligeret; ſimilem omnino ad Tertullianum per Michaëlem Ingelmontium Canonicum Brugenſem colligi curavit, ipſis Tertulliani verbis, ut ipſe aſſerit, retentis. Ita cum Eraſmo veluti convenit, qui ſuam cuique Patrum veterum tribuit Interpretationem, non tamen, uti Pamelius adſerit, ab ipſomet concinnatam; ſtabilem uterque tamen ait ac perpetuam cuique Eccleſiaſtico Scriptori Verſionem.

Tres igitur cernis, oppoſitas inter ſe quidem, aut diverſas ſaltem, ſuppoſitioni tamen noſtræ, de Patribus Scripturarum phraſibus verbiſque adhæreſcentibus, convenientiſſimas ſententias. Sive enim diverſitas, quæ in Sacris Lectionibus, ſeu citationibus Patrum apparet, ex eo procedat, quod ſua Auguſtino, ſua Ambroſio, ſua Tertulliano, cuique ſua fuerit Tranſlatio; ſive ex eo quod pene omnes, quum Græcam linguam aliqua ratione calluiſſent, fontes ita adire conſueverint, ut inde ſacram eruerent Sancti Spiritus ſententiam; ſive quod ſuam unuſquiſque ſibi integram contexuerit Verſionem; ſive demum quod in loco tantum ad fontes, ad Hebraicos & Græcos Textus, ad Originales Codices confugerint, & aliqua tantum heinc inde & in tempore, in rem tranſtulerint ſuam teſtimonia: ſtat adhuc tamen ſemper ſumma Patrum fides cum citationum diverſitate: ſtat Lectionum diverſitas cum Patrum adhæſione Textubus aut Originalium & Archetyporum, aut earum ſaltem, quæ ſuis obtinebant in Eccleſiis, quæque apud privatos licito in uſu erant, Editionum.

Ceterum, quod tres hujuſmodi ſeu opiniones, ſeu etiam ſententiæ, non ſat certæ, inconcuſſæ, & quantum res poſtulare videtur, vindicatæ ſint; & arbitra-

riæ ſuppoſitiones potius eſſe videantur; ſive quod Patrum Verſiones illas ad proprium uſum, inter eorumdem opera nemo numerarit adhuc; ſive quod Græcas eos adeo calluiſſe Diſciplinas dubitari poſſet (etiamſi Origenem ac Hieronymum excipere velimus); ſive demum quod nulla in medium proferantur teſtimonia, quæ nos de hac agendi ratione certiores faciant: alia incedere opus erit via, qua diverſitatem illam citationum cum Patrum coire fide, optima lege faciamus.

Equidem doctiſſimos audivi Viros, adhuc in Flaminii Nobilii opinione ac ſyſtemate verſatos; adhuc excogitantes ſcilicet, Latinos omnes antehieronymianos Patres Vulgatam veterem perpetuo citaſſe: quod hujuſmodi eruunt ex argumento. Præconcipiunt primum nempe, Vulgatam noſtram Veteris Teſtamenti totam eſſe ex Translatione Stridonenſis; exceptis tamen Pſalterii, Eccleſiaſtici, Sapientiæ ac Machabæorum Libris, quorum vel hodiernam Editionem dicunt eſſe Italam veterem ipſam, ſive antehieronymianam ex LXXvirali Verſionem. Heinc quum nonnullos Sanctos Patres, puta Cyprianum, ac Zenonem Veronenſis Eccleſiæ Antiſtitem, cum hodierna Vulgata in citationibus convenire videant, ſive (eorum opinione) cum Interpretatione Itala, quod ad Libros ſpectat quos Hieronymum non vertiſſe docent; conficiunt inde, ceteras omnes reliquarum Scripturæ partium citationes, ſeu citationes Librorum quos Hieronymus ex Hebræo vertit, ab Editione præſenti non alia ratione diſſonare, niſi quod cum antiquata conveniant Editione, Itala vetere ſcilicet: quod, tametſi non verum, noſtram adhuc tamen de authenticis apud Patres Sacrarum Scripturarum Lectionibus confirmaret mirifice ſententiam.

Non verum, inquam, illud Syſtema credendum multiplici de cauſſa. Primum enim, etſi veriſimilior ea

ſit

Digitized by Google

ſit ſententia, quæ ſtatuit integros Vulgatæ noſtræ Veteris Inſtrumenti Libros ex vetere Itala eſſe, integros alios ex Hieronymi Verſione; haud ſuis caret fundamentis tamen, quæ Vulgatam ex utraque docet Interpretatione mixtam. Dein, iidem Patres eadem aliquando Loca vel in iiſdem, aut ſuis aliis Lucubrationibus aliter aliterque citant; uti de Cypriano notum, de quo mox; uti de Zenone ac Hilario monent doctiſſimi Ballerinii Fratres, in nitidiſſima Zenonis Editione Veronenſi. Citant etiam aliquando Patres nonnullas Lectiones, quæ nec hodierna cum Editione, neque cum LXXvirali conſonant; convenientes tamen inter ſe ſe: quod in illa apud S. Gaudentium citatione patet, *Ecce homo & facta ejus*; quam quum in nullo inveniſſet Codice ejus editor Galleardus, jam arbitrariam pergebat appellare; quum a doctiſſimo amico admonitus, Sanctum Clementem quoque Alexandrinum, Lib. IV. Stromatum in fine, eadem ac ſimiliter habere, *ἰδοὺ γὰρ ἄνθρωπος καὶ, τὰ ἔργα αὐτοῦ*; quæ Eſaiæ LXII. 11. ſunt; cum LXX. tamen in exprimendi modo haud prorſus convenientia, uti noviſſimus Editor Anglus Operum Clementis animadvertendum docuit: heinc neceſſe erat inferre Galleardo, arbitrariam minime ducendam illam Lectionem. Quomodo enim ſtricte adeo convenire potuiſſent qui diſſiti prorſus erant illi Patres; quique Scripturam ſe tunc citare apertiſſime fatentur? Sed nec cum Itala antehieronymiana convenit Gaudentii Lectio; quod cum LXXvirali Græca nec conveniat citatio eadem apud Græcum Patrem. Ruinartius in Notis in Lib. III. Hiſtoriæ Perſequutionis Vandalicæ Victoris Vitenſis ſcribit: *Ceterum ut plurimum textus Scripturæ a Victore proferuntur ex Verſione LXX. Plerumque nec iſtius Verſionis ſunt, nec Vulgatæ. Sic & loca Novi Teſtamenti quandoque textui*

 græ-

græco ſunt conformia, aliquando noſtræ Vulgatæ, nonnumquam neutri. Denique ea Scripturæ loca adducunt Patres aliquando, quæ nullum ad Codicem vel alludere videntur; uti Zeno Lib. I. Tractatu VIII. ita ſcribens: *Clamavi, inquit Scriptura, ad eos, & non audierunt: clamabunt ad me, & non erit, qui exaudiat eos.* Hæc profecto ab antiqua Vulgata ducta nemo ſuſpicabitur; quum in nulla inveniantur LXX. Editione.

Quod animadvertendum præſertim, illud eſt: Citationes, hodierna cum Editione, aut cum Vulgatis olim Codicibus convenientes, haud lydium lapidem ab omnibus haberi, quo aliquid tuto de citandi apud Veteres ratione ſtatuamus. Notiſſimæ eruditis omnibus ſunt quæſtiones quæ Simonium inter ac Martianæum interceſſerunt, ſuper citationibus hujuſmodi quæ Vulgatis Editionibus reſpondent. Hiſtoriam litis ac quæſtionis ſtatum egregie exhibet Dupinius Tomo VI. Sæculi XVII. e cujus narratione, tacite quamvis, optimum erui, mea ſententia, videtur poſſe ea de re judicium. Dicerem igitur, haud quidem eſſe cum Simonio ſtatuendum, Canonis præſertim inſtar generalis, ſpurcas, ut ille ait, Monachorum manus, per quas MSS. Patrum Opera tranſierunt, omnes adeo ſuſpectas efficere Citationes Veterum, ut merum tandem de eiſdem inducamus Pyrrhoniſmum. Verum, nec cum Martianæo ita corruptionis ac labis puri cenſendi Patrum omnes Codices, ut pro vetere Citatione numquam uſitatior poſita fuerit ab indoctis Correctoribus, nec umquam Lectionibus antiquorum Codicum ſubſtitutæ Lectiones fuerint Vulgatorum Exemplarium. Vel ante Simonium id ſuſpicatus olim fuit Franciſcus Lucas Burgenſis, dum Notatione III. in Epiſtolam Catholicam Petri Apoſtoli priorem, Patres vix hac in re Librariorum manus effugere potuiſſe ſe dubitare ſcribens,

bens,

bens, *qui*, inquit, *fere ſolent Patrum citationes juxta eum legendi modum, cui ipſi aſſueverunt, immutare, etiam tum, cum ex circumſtantibus Patrum verbis aliud liquet; & doctuli præſertim, qui Typographorum Editionibus præfuerunt, nonnumqum juxta Vulgatam Græcorum Lectionem*. Heinc Clericus in Epiſtola Latina, ſuper Milliana Novi Teſtamenti Editione, quam Tomo inſeruit Bibliothecæ Selectæ XVI. innuebat, *non eſſe Editiones MSS. loco habendas, ubi ſæpe aliter legimus, Editorum audacia, qui ad Editiones ſæpe Scripturæ citationes refinxerunt. Quod vereor etiam* (ſubdit) *ne factum ſæpe ſit ab antiquioribus Librariis, ita ut, ex ætatis ſuæ Libris & conſuetudine, Veterum citationes emendarint, quia mendoſas putabant*. Hoc autem adeo certum eſt, ut ejuſdem loci citationem diverſam apud eundem Patrem, eodemque ipſiſſimo in loco videas, pro diverſitate Editorum, ſive Editionum. Alterutro igitur in Codice facta, mala Correctoris manu, mutatio textus ſacri, ſive citationis interpolatio; quod animadverterunt recentiores aut ſynceriores Editores. Iccirco *textuales* magis dixerim Patres, quum ab Editionibus noſtris Scripturarum diſſonant; quam ubi cum eiſdem nimium conveniunt. Hujus facinoris exemplum præſto tandem erit in Editione Rigaltiana Tertulliani, & in altera Priorii, in celebri citatione, quæ Syntagmati, ſeu Diſceptationi huic anſam dedit; quo de facinore, in loco. Interim, ut de origine diverſitatis Lectionum, ſive Citationum apud Patres, maxime antehieronymianos, ordine dicamus; explicandus eſt Bibliorum ætatis illius, verius Editionum, ac Verſionum ſtatus, ac conſideranda ratio agendi Patrum erga illas Editiones, ut demum ex veſtigiis facti eruatur, quæ magis legitima videbitur, conſequutio & theſis.

Con-

Digitized by Google

Conſiderandam igitur proponimus primo loco maximam, quæ prioribus obtinebat ſæculis, Editionum Bibliorum multiplicitatem ac copiam. De Græcis ſi loquimur, res patentiſſima eſt. Præter enim Editionem LXXviralem, ut ajebant, veterem, ſeu Alexandrinam, acceſſerant Editiones Heſychii, Luciani Martyris, & quam ex Origene Euſebius ac Pamphilus vulgaverant, uti ex Hieronymo habemus, Præfatione in Librum Paralipomenon; quarum tamen Editionum confectatio, uti ibidem idem Sanctus Pater ſubdit, minus obfuit, quin Origenes non ſolum Exempla compoſuerit quatuor Editionum, e regione ſingula verba deſcribens, ut unus diſſentiens, ſtatim ceteris inter ſe conſentientibus argueretur; ſed & Editioni LXX. Theodotionis Editionem miſcuerit; imo, ut addit in Præfatione ad Librum Job, res eo proceſſerit apud Græcos, ut poſt Septuaginta Editionem, vel Chriſti jam coruſcante Evangelio, Judæus Aquila, & Symmachus, ac Theodotion, Judaizantes Hæretici, forent denique recepti, in Ἐξαπλοῖς apud Eccleſias haberentur, a Verbi Dei Tractatoribus & Eccleſiaſticis quotidie explanarentur Viris. Quin & præter laudatas in Origenianis Octaplis Verſiones erant Hiericuntina, & Nicopolitana; quas omnes Verſiones diverſiſſimis abundaſſe Lectionibus colligere quiſque poterit ex reliquis in præſens LXX. Editionibus: ſiquidem diverſis ab Codicibus, diverſitateque Lectionum laborantibus, hauſtæ ſunt, Complutenſis Ximenii, Veneta Aſulani, Romana Cardinalis Caraffæ, Alexandrina, ſeu Londinenſis Grabii; ut ceterarum Reliquias prætereamus & edita fragmenta. Digna quæ legatur eſt præſertim laudati Joannis Erneſti Grabii Epiſtola ad Cl. V. Joannem Millium, qua oſtenditur, Libri Judicum genuinam LXX. Interpretum Verſionem eam eſſe, quam MS. Codex Ale-

xan-

xandrinus exhibet, Romanam autem Editionem, quoad dictum Librum , ab illa prorſus diverſam, atque eandem cum Heſychiana eſſe. Subnexa ſunt tria novæ τῶν ὁ Editionis Specimina cum variis Annotationibus; uti videnda ejuſdem Scriptoris Diſſertatio de variis vitiis, LXX. Interpretum Verſioni ante Origenis ævum illatis, & Remediis ab ipſo in Hexaplari adhibitis, deque hujus Editionis Reliquiis tam MSS. quam prælo excuſis; ubi Græcarum veterum Editionum multiplex diverſitas apertiſſime apparet. Auctor certe *Radicum Hebraicarum abſque punctis*, in Diſſertatiuncula ſuper קרי & כתיב Vocum לא & לו, quam ex Critica Sacra eruit Ludovici Capelli, oſtendit evincitque, nonnullas LXX. Editiones eodem in commate Lectionem repræſentare juxta *Keri*, ut ajunt, Hebræorum, alias ſecundum *Ketbib*; quare & oppoſitus ejuſdem loci, eadem, uti creditur, in Interpretatione ſenſus, ſive in diverſis ejuſdem Interpretationis Exemplaribus. Ipſa imo קרי & כתיב quid aliud Eruditorum opinione ſunt, niſi Lectiones quæ ex diverſis Maſſorethicis Codicibus profluxerunt diverſæ?

Quod ad latinos vero ſpectat Codices, dubitationem omnem tollit Hieronymus, qui de Veteris Teſtamenti Latinis Exemplaribus loquens, Præfatione in Joſue ſcribit: *Et ſicubi in antiquorum Voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt: maxime cum apud Latinos tot ſint Exemplaria, quot Codices; & unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt*. Et Præfatione in Evangeliſtas: *Si enim Latinis Exemplaribus fides eſt adhibenda; reſpondeant quibus: tot enim ſunt Exemplaria pene, quot Codices*. D. Auguſtinus vero Lib. II. de Doctrina Chriſtiana Cap. XI. hæc habet: *Latinorum Interpretum infinita varietas*. Et poſt pauca:

ca: *Qui enim Scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari poſſunt; Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis Fidei temporibus in manus venit Codex græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque Linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Oſtendunt hæc ipſa vero promiſcuum ac ſimultaneum Editionum illarum uſum. Siquidem ſi frequens hujuſmodi uſus non fuiſſet, evanuiſſent ſtatim; uti in præſens, & ante Patrum noſtrorum tempora evenit; quum per frequentiſſimum unius Vulgatæ uſum, ceteræ Verſiones, veluti fuiſſent numquam, ita in oblivionem lapſæ erant, ut nec earum nomina innoteſcerent. Quamvis enim Hieronymi teſtimonio, Præfatione in Librum Paralipomenon, Alexandria & Ægyptus in LXX. ſuis laudaſſet Heſychium Auctorem, Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris Exemplaria probaſſet; quæ vero inter eas mediæ erant Provinciæ Palæſtinos Codices legiſſent, quos ab Origene elaboratos Euſebius ac Pamphilus vulgaverant: quamvis, inquam, Exemplaria hujuſmodi illis in locis recepta magis ac probata eſſent; quare & in Eccleſiis publice legerentur, & eorum Lectiones Eccleſiaſtici ejuſmodi Provinciarum Scriptores plurimum uſurparent; haud ita Codicibus illis tamen addictos eos fuiſſe par eſt ut ſuſpicemur, ut non aliorum, in tempore, uſi etiam fuerint Lectionibus Exemplarium. Siquidem Hieronymus ipſe docet, Proœmio in Geneſim, ſuis Origenem in Homiliis LXX. Verſioni adhæreſcere; in Tomis vero, ſeu in ſuis Diſceptationibus ad Hebræum ſæpe provocare textum. Nonne & in Occidentalibus Eccleſiis publico uſui erat Itala antiqua? Nonne ſummo eam in pretio habebat Auguſtinus? In Diſputationibus tamen, in lucubrationibus, quot quantaſque recitat Verſiones! Quam ſæpe ad di-

verſas

verſas diverſorum Lectiones Codicum confugit ! quas exigendas ait Lib. II. de Doctrina Chriſtiana , ad eos Codices *qui apud Eccleſias doctiores , & diligentiores reperiuntur* . Ita ipſe revera præſtitit: tot enim attulit loquutiones diverſis ex Interpretationibus diverſas, ut quamvis Italam ceteris præferendam fateretur, dum maxime Sacra fierent; multiplici illa uteretur tamen Verſionum copia , divinis Scripturis commodum interpretandis. Sed antequam ab Auguſtino atque ab Africana Eccleſia diſcedamus, libeat animadvertere,quid in hunc locum egregie, ut ſolet, commentatus ſit Vir Cl. Trombellus. Is quippe Præfatione adhuc MS. in eam quam editurus eſt & S.Cypriano vindicaturus *Exhortationem de Pœnitentia*, hæc tradit de libero variarum apud SS. Patres Scripturarum uſu. " At cum
„ Scripturæ interpretationem Opuſculi noſtri Auctor
„ alleget valde diverſam ab ea qua utitur Cyprianus;
„ nemo quoque e Veteribus Libellum hunc Cypriano
„ tribuerit : anceps hæreo, cuinam illum adſcribam.
„ Novi equidem, poſtrema hæc argumenta indiſſolu-
„ bilia minime eſſe. Veteres ſcilicet modo unam, mo-
„ do aliam Scripturæ Interpretationem ſequebantur;
„ cujus quidem rei adeo multa, adeo perſpicua argu-
„ menta habemus , ut de ea jam nemo dubitet. U-
„ nicum exemplum , ſed illud manifeſtum eſt , adhi-
„ beo. Auguſtinus Sermone XX. num. 3. ſic verſicu-
„ lum 22. Capitis XVIII. Ezechiæ allegat " : *In quacumque die converſus fuerit iniquus, & fecerit juſtitiam, annos iniquitatis ejus obliviſcar.*" At Sermone XXXIX.
„ num. 1. citat hoc modo " : *Quo die converſus fueris, obliviſcetur mala tua præterita.* " Sermone vero
„ LXXXII. qui eſt de verbis Evangelii Matthæi ,
„ Cap. LXXVIII. num. 14. cum aliqua licet levi dif-
„ ferentia rurſus adducit hæc, nempe " : *Iniquus in*

qua

qua die converſus fuerit ab iniquitatibus ſuis , & fecerit juſtitiam, omnes iniquitates ejus obliviſcar. " Et „ alibi etiam eundem verſiculum afferens, cum ali„ quo diſcrimine affert. *Pulſat, & clamat*, inquit il„ le num. 10. Sermonis LXXXVII. qui eſt de Verbis „ Matthæi XX." *per Prophetam Ezechielem: In quacumque die converſus fuerit homo a via ſua peſſima, omnes iniquitates ejus obliviſcar.* " Amanuenſes etiam „ licentiam ſane non levem ſibi arrogarunt, ſubſti„ tueruntque non raro Interpretationem quam dili„ gebant, Interpretationi qua uſus fuerat Auctor ille „ quem exſcribebant. Hucuſque Trombellus, in reſponſione ad Objectum, ex diverſitate Citationum eadem in Lucubratione derivatum, nil Adverſariorum de conſiliis, noſtris ex oppoſito de principiis maxime ſollicitus.

In Romana demum Eccleſia, etſi ea moribus adhærere antiquis gaviſa ſemper eſſe videatur; in eaque fecundiorem quam in reliquis Eccleſiis fortunam Hieronymiana Verſio vel in ortu ſuo experta fuerit; notiſſima tamen adhuc vel parum doctis magni Pontificis Gregorii confeſſio de promiſcuo quem faciebat Italæ veteris ſimul, & Vulgatæ uſu; quod illa tunc temporis, ſuam nondum, quæ mox antiquata debebat eſſe, amiſiſſet auctoritatem. Inquit enim in Epiſtola ad Leandrum, Expoſitioni Libri Job præfixa: *Novam vero Translationem diſſero, ſed, ut comprobationis cauſſa exigit, nunc novam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo: ut, quia Sedes Apoſtolica, cui auctore Deo præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque cauſſa fulciatur.* Quam utique agendi rationem, veterum inſtar Tractatorum, Pontificem iniiſſe, dubitari vix poteſt.

Præconcepta igitur, juxta apertiſſimum SS. Patrum te-

teſtimonium, multiplici, ætate illa, Verſionum Lectionumque diverſitate, earumque ſimultaneo ac promiſcuo uſu, apparet ſtatim evidentiſſime, qua ratione non inter ſe ſolum fuerint Patres in citationibus diverſi, verum cur idem etiam unus comma, vel eodem in Opere, diverſa interpretatione pergat aliquando recitare. Fuit hoc præcipuum Diſſertationis noſtræ *De Loco Joannis* fundamentum; quod ad veritatem accedere minus dubitabis, ſi novum conjectationi meæ addidero ſuffragium ex Viro ſumme Critico, hiſque de rebus defunctorie non agente, Jacobo videlicet Baſnagio, Libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ IX. Cap. 2. ſcribente quæ ſequuntur: *On joüiſſoit alors d'une grande libertè ſur le choix des Verſions, dont on en vit paroître un grand nombre. Papias aſſure, que chacun traduiſoit l'Evangile de Saint Matthieu, comme il pût. Ce qui marque non ſeulement la multiplicitè des Verſions, mais la libertè qu'on avoit de les faire. D'ailleurs les anciens Peres, qui ſe ſont ſervis de l'Ecriture, la citent fort differement. Saint Cyprien par exemple ne cite point les Ecritures, comme les autres Peres; il ne s'accorde pas toujours avec lui même; car il cite differement les endroits de l'Ecriture dans ſon Traitè des Témoignages; parce qu'il avoit pluſieurs Verſions devant lui, & qu'il jettoit tantôt les yeux ſur l'une, & que tantôt il preferoit l'autre. C'eſt aujourdhui un caractere de diſtinction entre le Catholique Romain, & le Proteſtant; le premier eſt attachè a la Vulgate qu'il cite toujours, & l'autre ſuit les differentes Verſions de ſes Docteurs. Mais dans les premiers Siecles chacun ſe ſervoit de la Verſion qu'il trouvoit la plus propre. Cette libertè duroit encore du tems de Saint Auguſtin, ou plutôt elle ètoit devenüe ſi grande, qu'on ne pouvoit calculer le nombre des Verſions Latines, dont le monde ètoit rempli, & chacun*

y faiſoit

y faiſoit les changemens qu' il trouvoit a-propos, comme il nous en aſſûre lui-meme. Jam vero & auctoritate Cl. Millii oſtendere eſt, præcipuos ex Patribus cum *textuarios* fuiſſe, (quæ præcipua Diſceptationis noſtræ theſis eſt) tum etiam pluribus una Verſionibus adhæſiſſe. Ita ille de Tertulliano num. Prolegomenon 616. & ſeqq. „ Paulo poſt editos Latine libros Irenæi, ſeu „ omnes, ſeu primum ſaltem, floruit, ut dixi, *Tertullianus*, & varia conſcripſit: in quibus, quod ci- „ tata ſint Sacri Codicis loca fere neglectius, ex mo- „ moria, contracte, ad ſenſum, haud ſine levicula „ aliqua ſubinde mutatione; ipſiſque porro allegatis „ ab eo teſtimoniis immiſta ſint nonnumquam aliqua „ a ſtylo Interpretis *Vulgati* diverſa, Africanæ φράσεις, & vocabula mire barbara; perſuaſum Pame- „ lio, aliiſque Tertullianum non aliena aliqua, ſed ſua „ propria Translatione uſum fuiſſe in Scripturarum „ citationibus. Ceterum adducta ab eo loca atten- „ tius paulo conſideranti nihil certius, quam quod „ in eis ad *Italicam* fere ſemper reſpexerit. Hoc cum „ in aliis ejus Scriptis obſervare liceat, tum vero ma- „ gis in poſterioribus, maxime autem in Libro *de Pudicitia*. Quale vero penes ſe habebat *Italicæ* Ex- „ emplar? Haud parum maculatum certe, ſi quid de „ ceteris ejus partibus conjectare liceat ex Evangelii „ *Lucæ* Codice, quo uſus eſt in Libro quarto adver- „ ſus Marcionem.... Citationes aliæ ab ipſo Tertul- „ liano ſumtæ videntur ex variis Verſionibus, quæ „ tempeſtate illa ferebantur. Nempe præter *Italicam*, „ innumeras alias primis Sæculis exſtitiſſe notat Au- „ guſtinus. Ex his autem adſcriptæ ſubinde Lectiones „ ad oram Exemplarium *Italicæ* tranſierunt poſtea „ in mediam paginam. Tales aliquas Tertulliano ad „ manum fuiſſe conſtat ex Lib. V. adverſus Marcio- „ nem.

nem ., „ Multas heic Millius enumerat ; dein addit quæ ſequuntur ". Et quidem ad hanc Claſſem incunctanter „ retulerim inſignem illum locum Joannis de teſtimo- „ nio *Patris*, *Verbi*, *& Spiritus*, qui Græcis ferme „ omnibus excidit, eo præſertim quo uſus eſt Inter- „ pres *Vulgatus*. Nempe cum apud Afros præcipue „ vigeret magna hæc, quam diximus, Interpretatio- „ num multitudo (varias enim apud eos lectitatas fuiſ- „ ſe Verſiones, jam ab Eccleſiæ ſuæ primordiis ad Au- „ guſtini tempora, atque etiam poſtea, certo certius) „ feliciter factum, ut quod ex defectu Græci Codicis „ aberat in *Italica*, in aliis Latinis, ad Græca hac „ ex parte integra confectis, conſervaretur; adeoque „ & in Exemplari, quo uſus eſt Tertullianus.

Eandem doctrinam exemplis nobilibus Cl. idem Scriptor, ubi de Origenis citationibus loquitur, confirmat, numero nempe Prolegom. 687. " Sed neque Exem- „ plaria iſthæc, utcumque Hieronymo aliiſque mi- „ re probata, ſuis nævis carebant; ut apparet ex al- „ latis inde Lectionibus, e quibus aliquæ Codicum di- „ verſorum erant. Exemplaribus enim variis circum- „ fuſus (Origenes), in allegandis Sacri Codicis teſti- „ moniis, non ad unius alicujus textum ſe compone- „ bat, ſed ſubinde uno, ſubinde alio Codice uteba- „ tur, prout occurrebat ipſi ad manum. Hinc haud „ raro apud eum unius ejuſdemque loci lectio diver- „ ſa ". Exempla quæ ſtatim addit, brevitatis ergo, prætermitto. Illud certum, oppoſitas illas ejuſdem commatis apud Origenem citationes, *textuarias* utraſque, ut ita dicam, eſſe, ac a Millio oſtendi; quod omnes aliquo cum Codice, aut diverſis cum Codicibus, cumque aliorum Veterum citationibus mire conſonent: quare neutra in citatione ejuſdem loci, Scripturæ textus ad ſenſum memoriterve allegatus. Illud idem

 iterum

iterum inculcat magnus hicce Millius, de citationibus agens Cypriani, & oppido oſtendit, num. Prolegomenon 710. Ita & de Baſilio Magno num. 802. *In Baſilii Codice, ſeu potius Codicibus (plures enim eum nactum fuiſſe, ac ſubinde unius, ſubinde alterius textum, uti ferebat animus, uſurpaſſe, conſtat ex Scriptis) cum interpolata fuerint aliqua multa, tum certe, quantum ex citationibus colligimus, textus accuratus fere erat, uti alias, ita & ubi diverſus incedit ab Editionibus noſtris*: quod collatis cum veteribus Codd. & allegationibus aliorum Patrum, citationibus hujuſmodi vehementiſſime confirmat. Et num. 810, *Sicut autem Baſilius, ita & frater ejus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus variis Exemplaribus N. T. uſus eſt, eorumque Lectiones accuratius paulo expendiſſe ſe oſtendit, loco non uno ſuorum Operum.* Num. 838. ita ille diſſerit de citationibus magni Patris Auguſtini: " Jamque ordine temporis deducti ſumus ad ſcripta *D. Auguſtini*; qui cum in variis ac pene innumeris a ſe partim „ effuſis, partim elucubratis Opuſculis, portionem bene magnam exhibeat Interpretationis *Italicæ*, qualis in Codicibus iſtius ævi ferebatur; tum & de Verſione ipſa, aliiſque primorum temporum Latinis, „ quædam, a nullo ante Veterum memorata, ſcriptis „ prodidit, exſtitiſſe ſcilicet primis fidei temporibus „ S. Codicis, aut aliquarum ejus partium Interpretes plane innumerabiles: ut enim cuique in manus „ venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque Linguæ habere videbatur, auſum eum „ interpretari: ex Interpretationibus iſtis fuiſſe *Italam* (titulo enim iſto primus jam inſignivit Verſionem *Vulgatam*) quam & ceteris præferendam cenſet, eo quod eſſet *verborum tenacior, cum perſpicuitate ſententiæ*. Hinc liquet, e reliquis iſtis *nonnullas*

in

,, in manibus Fidelium fuiſſe poſt annum Chriſti
„ CCCCXXVI. Tum enim editi fuerunt Libri *De Do-*
„ *ctrina Chriſtiana*. Certe paulo ante Tract. *contra*
„ *Epiſtolam Manichæi* recitat *Actorum Apoſtolorum*
„ Capitum primi & ſecundi partem priorem, & *in*
„ *Diſp. cum Felice* Caput primum univerſum, & ſe-
„ cundi verſus tredecim priores ex Interpretatione
„ quadam Africana, quam Manichæi communem ha-
„ buiſſe videntur cum Catholicis quibuſdam iſtarum
„ regionum. Cum exponeret Epiſtolam *Jacobi*, uſum
„ ſe ait, *Retract. Lib. II. Cap.* 32. iſtius Verſione,
„ haud diligenter ex Græco interpretata. Certe ab-
„ erant ab ea initialia, *Jacobus Dei & Domini noſtri*
„ *Jeſu Chriſti ſervus*; puto, quod de auctoritate Epi-
„ ſtolæ dubitaretur. Verſionis hujus videtur illud, c.
„ 3. v. 17. plena miſericordia & fructibus bonis, *in-*
„ *æſtimabilis*. (Lib. De Nat. & Gratia cap. 16.) Nem-
„ pe id Interpreti iſti valebat ἀδιάκριτος. Item c. 1.
„ v. 17. apud quem non eſt commutatio, nec *momen-*
„ *ti* adumbratio. [Serm. 23. ad Populum, & lib. II.
„ De Civit. c. 21. & ſic habet Auctor *Hypognoſticon*,
„ quiſquis ille.] in Codice ſcilicet quem ſecutus ſit,
„ ῥοπῆς ſcriptum videtur pro τροπῆς. Alibi Verſio-
„ nem memorat ab *Italica* diverſam, in qua ſic red-
„ debatur illud 1. Cor. 15. 31. *Quotidie morior, per*
„ *veſtram juro gloriam*. Sed & crebra paſſim apud
„ Auguſtinum Lectionum e variis Codd. & Verſioni-
„ bus profectarum mentio. In Epiſtola ſpeciatim
„ CXLIX. ad Paulinum notat, ex Interpretibus La-
„ tinis vix repertos fuiſſe, qui verba Apoſtoli 1. *Tim.* 2.
„ 1. diligenter & ſcienter transferre curaverint. In
„ Verſione enim qua uſus ſit Paulinus, [Italica ſcili-
„ cet] poſitum fuiſſe, *Obſecro itaque primum omnium*
„ *fieri obſecrationes &c.* Cum *obſecro* ſit græce παρα-

 „ καλῶ

„ καλῶ; pro *obſecrationes* vero habeat Paulus δεήσεις:
„ ideo alii Codd. inquit, in quibus & noſtri, [Africani] non habent *obſecrationes*, ſed *deprecationes*.
„ Item pro *interpellationes*, quod noſtri Codd ferunt,
„ veſtri, inquit, habent *poſtulationes*. Sic Col. 2. 18.
„ pro *cultura Angelorum*, veſtri habent, *religione Angelorum*. Ceterum qualiſcumque fuerit hoc tempore Verſionum varietas, maxime apud Afros, illud
„ certum, Auguſtino ipſi haud aliam publico & quotidiano in uſu fuiſſe præter illam quam præ ceteris
„ probavit *Italam*. Huic uni fere in omni Operum
„ parte ipſum inhærentem videas. Et ne quidem Codd.
„ iſti Africani, quos opponit Paulini & Italorum Latinis, diverſarum Interpretationum fuiſſe videntur,
„ ſed unius ejuſdemque interpolatæ & mutatæ (quod
„ tractu temporis fere fit) variis in locis pro Scribarum licentia. Nempe, cum ceteris Translationibus
„ præferretur *Itala*, ſolaque jam valeret apud Eccleſias pleraſque omnes Occidentis; haud alius fere reliquarum uſus, quam quod excerpras ex iis hinc inde quaſdam particulas in marginem ſuorum Editionis *Vulgatæ* Codicum conjicerent Lectores: unde poſtea factum, ut in corpus Libri tranſmitterentur a
„ Scribis. Hujuſmodi certe eſt pars magna Lectionum,
„ quæ a Vulgata diverſæ occurrunt apud Auguſtinum.
Sequuntur exempla innumerabilia, diverſæ videlicet Lectiones ſive citationes, cum aliorum tamen citationibus Patrum, & veteribus Codd. conſonantes. Sed ut cetera omittam, ita de allegationibus Bedæ, num. 1022. *Et jam quidem ad Sæculum VIII. devenimus; cujus initio floruit Beda noſtras, ingens illud eruditionis omnis humanioris pariter ac ſacræ Oraculum. Commentariis ipſe, quæ plurima in varias Sacræ Scripturæ partes meditatus eſt, cum ſubſternat Hieronymi Verſionem,*

ſionem, tum & veterem Italicam citat ex occaſione; ſed & alias quaſdam [uti ipſi videbatur] etiam adducit, quæ ad ipſius uſque tempora permanſerant, in Retractationibus in Acta Apoſtolorum. Secundarius erat iſte Commentarius; in quo ſententiam in priori declaratam in nonnullis mutat retractatque, ex fide præcipue Codicis Græci Actorum, qui in manus ei forte inciderat, pervetuſti, & a recepta Verſione Vulgata in nonnullis diſcrepantis. Sed infinitum pene Viri maximi laborem, magnam videlicet Prolegomenon partem, quæ in hac veritate oſtendenda verſatur, piget exſcribere.

Præluſit Millii Sententiæ Simonius Part. II. Hiſt. Criticæ Novi Teſtamenti Cap. 3. his verbis: "Les Verſions particulieres n'avoient rien de commun avec „ celle qui étoit lûë dans le ſervice public. Si l'on fait „ cette diſtinction, l'on reſoudra facilement les Obje- „ ctions, qu'on tire de Tertullien, de S. Cyprien, & „ de quelques autres Peres, qui ne s'accordent pas „ dans leurs citations avec l'ancienne Traduction qu' „ on appelle Italique". Ejuſdem Partis Capite 6. hæc ſubdit idem Auctor": Nous en avons un exem- „ ple conſiderable dans ce même Livre contre Helvi- „ dius, ou il [Hieronymus] rapporte un paſſage de l' „ Epître I. de Saint Paul aux Corinthiens Chap. 7. „ ſelon l'Italique; & lorſqu'il produit ce même en- „ droit contre Jovinien, il le traduit d'une autre ma- „ niere, & ſelon qu'il liſoit dans ſon Exemplaire „ Grec. Il apporte meme les raiſons de ſon change- „ ment". *Nunc illud breviter admoneo, in Latinis Codicibus hunc locum ita legi: "Diviſa eſt Virgo & mulier". Quod quamquam habeat ſuum ſenſum, & a me quoque pro qualitate loci ſic ediſſertum ſit; tamen non eſt Apoſtolicæ veritatis: ſiquidem Apoſtolus ita ſcripſit, ut ſupra tranſtulimus.* Lib. adverſus Jovinianum I.

 De-

Denique, Verſionum diverſitatem, quæ diverſis Patrum Citationibus locum dedit, Euſebius commemorat; cujus illuſtre teſtimonium heic demum producimus, quod poſtremo in agmine collocentur Triarii. Loquitur Euſebius Libro VII. Demonſtrationis Evangelicæ Cap. 2. de celebri Iſaiæ Prophetia VII. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Quum non ignoraret vero, contendere Judæos, non *Virginem*, ſed *puellam* in Iſaiæ effato ſcribi debuiſſe; adverſus eoſdem argumentatur ex loci ſenſu ac emphaſi, ex non uſitato ſcilicet illo ſigno, quod ſpopondit Deus per Prophetam; cujus quidem ſenſus emphaſim reperiri oſtendit in Verſionibus etiam Judæorum, Aquilæ videlicet, Symmachi, ac Theodotionis, qui eo loci cum LXXviralibus Codicibus omnino conveniebant; eſto (quod hic in rem noſtram animadvertendum) non iiſdem prorſus uterentur verbis. Scribit igitur: Ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἡμετέροις ἀντιγράφοις, ὑφ' Ἑβδομήκοντα ἀνδρῶν ἄνωθεν μὲν Ἑβραίων τὸ γένος, ἐπ' ἀκριβείᾳ δὲ τῆς πατρίου παιδείας δεδοκιμασμένων ἑρμηνευμένοις ὧδέ πως φέρεται, μὴ μικρὸν ὑμῖν ἀγῶνα παρέχειν ἀνθρώποις; καὶ, πῶς Κυρίῳ παρέχετε ἀγῶνα; διὰ τοῦτο δώσει Κύριος αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον. ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ, τέξεται υἱὸν, ὃς κεκλήσεται ὁ μεθ' ἡμῶν Θεός. " In noſtris enim Exemplaribus, quæ quicumque interpretati ſunt, ii & genere
,, ab Hebræis oriundi fuere, & patriæ ipſorum linguæ
,, peritiſſimi, & in ea eruditione probatiſſimi, ſic habetur: *Num parum vobis eſt, certamen exhibere hominibus? & cur Domino exhibetis certamen? propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo in utero capiet, & pariet filium, qui vocatur nobiſcum Deus* ". ἐν δὲ τοῖς αὐτῶν ἰουδαίων ἀντιγράφοις, κατὰ

τὴν

τὴν Ἀκύλου μεταβολὴν φερομένοις, ὅμως δ᾽ οὖν καὶ, κατ᾽ αὐτὸν τοῦτον εἴρηται τὸν τρόπον. μήτι ὀλίγον ἀπὸ ὑμῶν μοχθοῦν ἄνδρας, ὅτι μοχθοῦ πέγε καὶ, τὸν Κύριον Θεόν μου; διὰ τοῦτο δώσει αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον. ἰδοὺ ἡ νεανὶς ἐν γαστρὶ συλλαμβάνει, καὶ, τίκτει υἱὸν, καὶ, καλέσεις ὄνομα αὐτοῦ, Ἐμμανουήλ. " In ipſis autem Judæorum
,, Exemplaribus (proſequitur Euſebius) quæ ſecundum Aquilæ converſionem feruntur, hoc ſane ſcri-
,, ptum eſt hoc modo: *Numquid parum eſt vobis fatigare viros, quod laborem etiam exbibetis Deo meo? Propter boc dabit ipſe vobis ſignum: Ecce puella in utero concipit, & parit filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel*. παρὰ δὲ τῷ Συμμάχῳ ταῦθ᾽ οὕτως ἔχει. μὴ οὐκ αὔταρκες ὑμῖν κοποῦν ἀνθρώπους, ὅτι κοποῦτε τὸν Θεόν μου; διὰ τοῦτο δώσει αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον. ἰδοὺ ἡ νεανὶς συλλαμβάνει κ᾽, τίκτει υἱὸν, καὶ, καλέσεις ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. " Apud Symmachum vero hæc
,, ita ſe habent: *Nunquid non ſatis vobis eſt fatigare bomines, quod fatigatis Deum meum? propter boc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce puella concipit, & parit filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel*". οὐκ αὔταρκες ὑμῖν τοὺς προφήτας τοῦ Θεοῦ μοχθοῦν, καὶ, ἀγῶνα παρέχειν ἀνθρώποις; ἀλλ᾽ ἤδη καὶ, τὸν Θεόν μου κοποῦτε, καὶ, ἀγῶνα παρέχετε καίγε τῷ Θεῷ μου. οὕτω γὰρ καὶ, Θεοδοτίων ἐξέδωκεν. "Thodotion vero ita
,, convertit: *Non ſatis vobis eſt, Dei Propbetas affligere, bominibuſque exbibere certamen, niſi jam etiam Deum meum fatigetis, & Deo meo exbibeatis certamen?* Qui græce tantum novit legere, diſcrimen videt inter Lectiones Codicum LXX. a lectionibus inter ſeſe diverſis Aquilæ, Symmachi, ac Theodotionis. Quare, uti Euſebius ex ſententiæ conſenſione veram eruit ſententiam; ita ex phraſeos ſeu Verborum diverſitate, certum nos pro diverſitate Verſionum, ex

quibus diverſæ Lectiones Patrum ortæ, ſumimus argumentum.

Citationum igitur diverſitas apud SS. Patres, imo apud eundem aliquando Eccleſiaſticum Scriptorem, non ex eo derivata cenſenda eſt, quod ſua Cypriano fuerit Interpretatio, ſua Tertulliano, Hilario ſua, ſua Ambroſio, ac Auguſtino; non quod Patrum quiſque ſuam ſibi concinnaverit Verſionem, aut proprio marte neceſſaria ſibi ex Hebraico ac Græco fonte tranſtulerit teſtimonia (Quas tamen juxta opiniones, ſemper fontibus, ſeu textubus Divini Verbi adhæſiſſent); minus vero quod tumultuario, memoriter, arbitrario, nullaque lege, Scripturæ teſtimonia recitaverint; ſed quod, pro illorum moribus ac libertate temporum, multiplici gaudentes probatarum Verſionum copia, variis pro opportunitate, & juxta loci exigentiam uſi fuerint Interpretationibus, nec uni, uti in præſentiarum nos, Editioni addicti, per diverſas vagarentur.

Sed adverſus illam, quam ex Hieronymi teſtimonio præſertim dignoſcimus, Verſionum copiam, argumentum effluit ex verbis & animadverſione Joannis Frickii, ubi de cura agit veteris Eccleſiæ circa puritatem Codicum Novi Teſtamenti Cap. IV. §. 19.; quamque refert Cl. Barzanus, num. Epiſtolæ ſuæ altero. Ita vero efformari poſſet: Si tanta, uti arbitraris fuiſſet ante Hieronymum, vel ejus ætate etiam, interpretandi vertendique, uti cuique erat libitum, licentia, cur, quæſo, laboravit adeo Sanctus Pater, *ingentem ut invidiam amoliretur, qua ſe premi noverat a multis doctis æque ac indoctis, ob inſolitum ævo illo novæ Biblicæ Editionis ſtudium; quippe quod carpebant, ut temerarium, fallax, periculoſum, ac ſacrilegum?* Quibus ita reſpondere placet: Non unum Hieronymum nos habemus illius Verſionum copiæ teſtem, ſed Pa-

piam,

piam, Origenem, Auguſtinum, præter plurima, quæ reliqua ſunt, diverſarum illarum Editionum in MSS. ac Editis Codicibus fragmenta. In re vero facti, cujus fidem faciunt Auctores ſynchroni, haud contra valent conjectationes, eſto ſpecioſæ, aut metaphyſica argumenta. *Hiſtoriam factorum & Dogmatum (* ait optime Clericus quæſtione inter Hieronymianas VIII *) non poſſe certius aliter colligi, quam ex Scriptoribus, qui vixere iis ſæculis, quibus facta contigerunt, aut Dogmata viguerunt, in confeſſo eſt apud omnes. Si enim eam colligere aggrediamur ex Scriptoribus recentioribus, in duplex erroris periculum incauti delabimur; quorum unum eſt, ne nos imprudentes fallant, dum nobis narrant, quod putant quidem eſſe verum, ſed in cujus veritatem non ſatis diligenter inquiſiverunt; alterum vero, ne etiam affectu quodam excæcati, aut occulto fallendi ſtudio nos decipiant*. Reapſe magis perpendendus eſt illius quæſtionis ſtatus.

Inter cauſſas, quibus ad opus novæ Verſionis ſuſcipiendum, actum ſe ſignificat Hieronymus, illa maxime, ex Calmeti etiam animadverſione Diſſertatione in Vulgatam, recenſenda eſt, quod ſcilicet Judæi Chriſtianis exprobrarent malam in Scripturis fidem; quippe qui nonniſi ex LXXvirali Textu illas laudarent. In Diſceptationibus igitur Judæorum cum Chriſtianis Recutiti originalem ſemper Textum crepabant: quare arma illis eripere neceſſarium viſum eſt, expreſſa ad Textum Originalem Verſione, *ne*, uti Hieronymus ipſe habet Præfatione in Iſaiam, *Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis Dei diutius inſultarent*. Quum vero obtineret tunc temporis apud probos etiam & doctos receptiſſima opinio, divinam eſſe Verſionis LXX. auctoritatem, ejuſque Depoſitum, veluti ab Apoſtolis acceptum, ſancte ab Eccleſia obſervari; emendatiſſimas

iccirco

Digitized by Google

iccirco crederent Verſiones a LXXvirali Textu derivatas: heinc tot illæ in Hieronymum Tragœdiæ; adverſus quem nec auditum profecto verbulum fuiſſet, ſi, Interpretum inſtar ceterorum, novam & ipſe, pro libito etiam, ſed ad LXX. Interpretum textum, adornaſſet Verſionem.

Apertiſſime hoc patet ex Hieronymi cum Auguſtino Amoebæis; præſertim ex hujus Epiſtola veteris Editionis X. in qua alterum dehortans a Libris Veteris Teſtamenti ex hebræo transferendis, ipſum tamen vehementiſſime hortatur, ut LXX. Interpretationem potius ſequatur. Scribit ergo: *Ego ſane te mallem Græcas potius Canonicas nobis interpretari Scripturas. Perdurum erit enim, ſi tua Interpretatio per multas Eccleſias frequentius cœperit lectitari; quod a Græcis Eccleſiis Latinæ Eccleſiæ diſſonabunt: maxime quod facile contradictor convincitur Græco prolato Libro, ideſt, linguæ notiſſimæ. Quiſquis autem in eo quod ex Hebræo translatum eſt, aliquo inſolito permotus fuerit, & falſi crimen intenderit; vix, aut numquam ad Hebræa teſtimonia pervenitur, quibus defendatur objectum. Quod ſi etiam perventum fuerit; tot Latinas & græcas auctoritates damnari quis ferat?* Aliis etiam in Epiſtolis inſtitit Auguſtinus vehementer, rogavitque Hieronymum, ut adornatas LXXviralem ad textum Interpretationes alias daret. Sed haud melius certe, quam ipſo ex Hieronymo, quid ipſius in methodo, ſuiſque in Verſionibus, ejus carperent Adverſarii, poſſumus intelligere. Rogaverat Stridonenſem Deſiderius, ut Latinam Pentateuchi Interpretationem ſuorum auribus traderet; cui in Præfatione ad illos Libros ita Hieronymus reſpondet: *Periculoſum opus certe, & obtrectatorum meorum latratibus patens, qui me aſſerunt in Septuaginta Interpretum ſugillationem nova pro veteribus cudere*

dere. Et Præfatione in Joſue: *Et in primis, quod ſæpe teſtatus ſum, ſciat, me non in reprehenſionem Veterum nova cudere, ſicut amici mei criminantur*. Denique Præfatione in Job: *Cogor per ſingulos Scripturæ divinæ Libros adverſariorum reſpondere maledictis, qui Interpretationem meam, reprehenſionem Septuaginta Interpretum criminantur*. Non igitur inſolens, non infrequens erat antehieronymianis temporibus Latinas concinnare Verſiones. Innumeræ reipſa erant; quod nemo prudens negaverit. Ideo non pauci temerarium, periculoſum, ſacrilegum dicebant Hieronymianæ Interpretationis ſtudium; quod, non ut ceteri Latini Interpretes, ex LXXvirali textu, ſed hebraicis e fontibus, ſuas, præter morem, derivaret Verſiones. Noſtram hanc ſententiam explicatam legas in verbis Clerici, ita in Bibliothecæ Antiquæ atque Hodiernæ Tomo XXII. pag. 268. ſcribentis: *Il n'étoit pas poſſible de parler avec mépris de la Verſion Greque, devant les Helleniſtes; ſans les choquer; car on ſait, que l'on donne beaucoup d'autoritè aux Liures, qu'on lit publiquement. On en peut voir un Exemple parmi les Chretiens, dans l'ancienne Verſion Italique de l'Ancien Teſtament, faite ſur le Grec des LXX. quoiqu'elle fût treſ-fautive; parce qu'outre les fautes des LXX. il y avoit encore celles du Traducteur, ou des Traducteurs Latins, augmentées de plus par les Copiſtes, qui n'entendoient que le Latin. S. Jerome entreprit, a cauſe de cela, de traduire l'Ancien Teſtament ſur l'Hebreu, qu'il avoit apris d'un Juif, a cauſe de cela meme, & en ſe ſervant des Verſions Greques d'Aquila, de Symmaque, & de Theodotion, qui étoient plus exactes. Cela alarma ceux, qui n'entendoient que le Latin, & qui expliquoient ſouvent fort mal l'Ecriture, trompez par l'Interprete Grec, & par les fautes des*

Tra-

Traducteurs & des Copiſtes Latins. Il ne faut que lire les Lettres, que S. Auguſtin, qui ètoit dans le cas, lui ecrivit, & les reponſes de S. Jerome, qui s'attira par là la cenſure & la haine de ceux, qui n'entendoient que le Latin. En effet, par la nouvelle Verſion faite ſur l'Hebreu, quantitè de Commentaires Grecs & Latins, ſur le Vieux Teſtament, ſe trouvoient convaincus d'une infinitè de bèvues, fondées ſur les fautes des Verſions. Hæc autem omnia ne ex ingenio potius, quam ex Hiſtoria ac monumentis derivata ſuſpicioſi homines exiſtiment; criminationem ipſam ex Hieronymi adverſariis audiemus, ſive ex infenſiſſimo ejus hoſte Rufino, cujus in acerrima adverſus Stridonenſem Invectiva, non utique Verſionis ſtudium, ſed contemtus veluti aut neglectus receptiſſimæ Interpretationis, & ab eadem diverſitas conatu maximo notantur. Equidem multa in poſteriori illa Cenſura, ſeu Invectiva Hieronymo obiicit Rufinus; nil acerbius tamen odioſiuſque improperat, quam novam ex Hebræo Interpretationem. Scribit igitur: *An ut Divinarum Scripturarum Libros, quos ad pleniſſimum Fidei inſtrumentum, Eccleſiis Chriſti Apoſtoli tradiderunt, nova nunc, & a Judæis mutuata Interpretatione mutares? Quid tibi ex his duabus cauſſis magis videatur illicitum? Nam Origenis dicta, ſive placent, ut hominis dicta placent; ſive diſplicent, ut hominis falſa dicta facile contemnuntur. Iſta vero, quæ nunc tu interpretaris, & per Eccleſias & Monaſteria, per oppida & caſtella tranſmittis, quomodo ſuſcipiemus? tamquam divina, an tamquam humana? Et quid facimus; quod quæ Prophetarum vel Legislatorum nominibus titulantur, veriora hæc abs te, quam illa quæ Apoſtoli probaverunt, affirmantur? Iſtud commiſſum, dic, quomodo emendabitur, imo nefas quomodo expiabitur? Si enim in explicanda lege*

aliquid

aliquid aliter ſenſiſſe damnabile apud te ducitur;ipſam legem pervertere in aliud quam Apoſtoli tradiderunt, quoties damnabile judicandum eſt? Cur non magis pro hujus auſi temeritate dicamus: Quis ex tot & tam prudentibus & ſanctis Viris, qui ante te fuerunt, ad iſtud opus auſus ſit manus mittere? Quis præſumſerit Sancti Spiritus voces & divina Volumina temerare? Quis præter te divino muneri & Apoſtolorum hæreditati manus intulerit? Et quidem cum ingens copia fuiſſe ex initio in Eccleſiis Dei, & præcipue Hieroſolymis, eorum qui ex Circumciſione crediderant, referatur, in quibus utique Linguæ utriuſque perfectam fuiſſe ſcientiam, & Legiſperitiam probabilem Pontificatus teſtatur officium: Quis ergo in iſta Eruditorum Virorum copia auſus eſt Inſtrumentum Divinum (quod Apoſtoli Eccleſiis tradiderunt) & Depoſitum Sancti Spiritus compilare? ..... Ut omittam illud dicere; quod LXXII. Virorum, per cellulas interpretantium, unam & conſonam vocem dubitandum non eſt Spiritus Sancti inſpiratione prolatam, & majoris id debere eſſe auctoritatis, quam id quod ab uno homine, ſibi Barabba aſpirante, translatum eſt. Quomodo ergo iſti (Petrus & Paulus) *qui pracipiebant Diſcipulis, ut attenderent Lectioni, emendatas eis & veras non dabant Lectiones? Quomodo non prævidebant per Spiritum, quod futurum eſſet tempus poſt quadringentos fere annos, quando Eccleſia, cognito eo quod ab Apoſtolis non ſibi eſſet tradita veritas Veteris Inſtrumenti, Legatos mitteret ad iſtos, quos illi tunc Circumciſionem vocabant, obſecrans & exorans, ut ſibi de veritate, quæ apud ipſos eſt, aliquid largirentur. Per totos iſtos quadringentos annos erraſſe ſe, & ignoraſſe quod verum eſt, fateretur .... Quid ergo mirum eſt, ſi me minimum, & nullius numeri hominem* (Heronymus) *laceret, ſi Ambroſium ſecet, ſi Hilarium, ſi La-*

Lactantium, ſi Didymum reprehendat? Nec multum dolere de injuria mea debeo, pro eo quod opus meum ipſe interpretari denuo aggreſſus eſt; cum me LXX. Interpretibus hac in parte æquaverit contumelia. Sed & illud quomodo accipiendum eſt: Quantum acceſſiſſe ad incredulitatem ex hoc facto Gentilibus exiſtimatis? Non enim latent eos quæ apud nos aguntur. Scientes ergo Legem noſtram nunc emendatam, vel mutatam, nonne dicunt apud ſemetipſos: Errant iſti, nec eſt apud eos aliquid veritatis? Ecce ipſi, cum volunt, Leges ſuas corrigunt & emendant. Certum eſt autem, errorem præceſſiſſe, ubi emendatio ſubſecuta eſt, nec divinum videri poſſe quod ab homine mutatur. Hucuſque Rufinus; cujus Declamatoris ex verbis notatum videmus ſolum Hieronymi erga Hebraicos fontes ſtudium, animumque emendandi LXXviralem Editionem, non vero Scripturas vertendi libertatem ac morem ætate illa receptiſſimum. Quadere concidat prorſus neceſſe eſt arbitrarium Frickii cogitatum.

Jam vero certo certius eſt, antehieronymianis temporibus varia circumlata fuiſſe exemplaria, maximamque exſtitiſſe diverſarum in exprimendi ratione Interpretationum copiam. Si nempe ipſe Hieronymus inconſtans adeo dicitur fuiſſe, eadem ut verba modo ſecundum aliquam ſignificationem verterit, modo ſecundum diverſam; idem ſi fecit inter Recentiores Eraſmus: cur diverſitatem olim Interpretationum diverſis ex Interpretibus inficiabimur? Nemo autem hebes adeo deberet eſſe, qui ſibi facile confingere poſſet, ætatate illa, qua nullum erat de concordi Bibliorum Verſione profectum ab Eccleſia Edictum, ab interpretandi, ac proprio marte Scripturas transferendi licentia abſtinere ſe homines voluiſſe: quum Tridentinum etiam poſt Edictum de Vulgatæ authenticitate, ejuſcemo-

ſcemodi adhuc libertatem uſurpaverint Interpretes, totque nobis exhibuerint, hodieque imo exhibeant Lectiones, non ſenſu quidem, ſed ſignificandi certe modo a Vulgata abhorrentes. De iis non loquor, qui ante Concilium ſcripſere, aut quibus religio eſt nullam habere Tridentinorum Decretorum rationem. *Verſum* 6. *Pſalmi CIX.* (ajebat Melchior Canus Libro de Locis Theologicis II. Cap. 13.) *aliter Lutherus, aliter Pomeranus, aliter Pelicanus, aliter Bucerus, aliter Munſterus, aliter Zuinglius, aliter Felix, aliter Pagninus traduxerunt; ut jam mihi videantur Theodotionis, Symmachi, Aquilæ, quinta, item ſexta, & ſeptima Editio, ac Vulgata quoque LXX. numero pauciſſimæ, ſi ad horum innumeras conferantur. Quid, quod Eraſmo cum ſeipſo non convenit? Extat enim quinta, extaret & ſexta Editio, niſi vel inconſtantiæ notam inurendam ſibi metuiſſet, vel morte fuiſſet interceptus*. De iis, inquam, non loquor, ſed de iis, qui noſtra ſemper in Eccleſia fuerunt. Præter enim Malvendæ, Clarii, Cajetani, Muiſii Interpretationes, ſi Latina Lingua, uti antehieronymianis temporibus, vulgaris in præſens eſſet, ſeu vernacula; innumeras ac infinitas prope haberemus Latinas Verſiones, quas nempe vel Catholici Interpretes Italice, Gallice, Germanice, Hiſpanice ediderunt, eodem quidem ſenſu omnes, iiſdemque ſententiis conſtantes, ſed verbis, phraſibus, atque exprimendi ratione diverſiſſimas. Itaque ex præſenti rerum facie, ex tam ſimili in tanta morum diverſitate ac temporum elongatione conſpectu, de veterum Interpretationum multiplicitate ac copia poſſumus optimo quidem jure argumentari, & antiquarum rerum imaginem habere non omnino imperfectam. Si tot enim hodie, vel Catholica in Eccleſia, ad privatorum uſum exſtant diſſimilis phra-

Digitized by Google

ſeos Verſiones; quot olim fuiſſe dicendum eſt, nemine videlicet licentiæ vertendi, interpretandique libertati frenum immittente, nullaque adhuc Interpretatione ſat communiter, uti nunc, Univerſali in Eccleſia conſecrata?

CAPUT VIII.

Sanctos Patres non ſolum in Commentariis ad Biblia, ſed & in Polemicis Lucubrationibus, in Homiliis, & ubicumque ſe Scripturas citare dicunt atque oſtendunt, Textubus, ſeu Verſionibus ac Editionibus adhæſiſſe ſuis. Specimen Lectionum Sacrarum apud Patres ab hodiernis diverſarum, quas cum nuper inventis antiquiſſimis Bibliorum Codicibus, & cum eorum Lectionibus mirifice conſonare obſervatum eſt.

OMnes qui in ea verſantur ſententia, ut velint ſcilicet, Patres arbitrario, tumultuario, memoriterque Scripturæ loca recitare, eſto id *ſæpeſæpius* ab eiſdem perpetratum contendant, non tamen ſemper. Morinus in teſtimonio, quod vidimus primo Capite, generaliter, ut ita dicam, loquitur, idque *raro admodum*, ſubiicit contigiſſe. *L' Enfant*, ibidem pariter laudatus, excipit etiam: *Ce n' eſt pas qu' il n'y ait des occaſions, ou les Peres paroiſſent plus textuaires, qu' en d'autres.* Clericus vero quadam in Epiſtola an. MDCCVIII. Am-

Amſtelodami data, ſpondet, *ſi nonnulla accurate obſerventur, Lectiones veteres ac veras e Scriptis Patrum facile hauſtum & confirmatum iri: nec periculum*, inquit, *ullum erit, ne memoriæ fallentis ludibria, aut interpretamenta, ſeu inania illa ſint, ſeu vera, pro variis Lectionibus habeantur*. Quod ad teſtimonium animadvertit Barzanus, num. Epiſtolæ ſuæ IV. alios hoc fieri poſſe, præterquam in auxilium adhibitis MSS. ægre adduci, ut credant ſibique perſuadeant. Verum de Canone hujuſmodi, ſcilicet ex MSS. diſputandum eſſe, iiſque modo ſtandum, ut de authenticitate Lectionum quæ apud Patres proſtant, judicemus, diximus, ſatis, ut arbritror, diligenter. Illa vero *accurata obſervatio* quam Clericus proponit, ut Regula eſt nimis, ut ita dicam, generalis, fallax eſſe etiam poterit; quod uni vera Lectio illa videbitur, quæ apud alterum memoriæ fallentis fortaſſe ludibrium audiet, aut inane interpretamentum.

Ex ſolis MSS. tamen haud argumentandum cenſet Cl. Barzanus, ſed alium Canonem ex Frickio adducit, quo docemur nempe, SS. Patres, Scripturarum Interpretes agentes, adhæſiſſe textubus, ſecus vero in reliquis Operibus. Ipſum audiamus igitur, num. Epiſtolæ ſuæ doctiſſimæ XXIX. hiſce verbis diſſerentem: *Frickii monitum opportune hic totum recitabo, quod breviter, meo quidem judicio, id complectitur, quod Opere vel in longo de citandis Veteribus ad teſtimonium dicendum Clericus dicere potuiſſet*. Sequitur laudati Frickii teſtimonium, ſeu monitum, quod ipſe habet, ubi de cura agit veteris Eccleſiæ circa puritatem Codicum Novi Teſtamenti Cap. II. ∫. 21. Scribit enim: *Patet, quam parum tuto ſubinde citationibus Patrum ad eligendam Sacri Textus veram Lectionem fidatur: Quapropter & nonnulli doctorum de fructu aliquo ex illis capiundo*

H

piundo deſperarunt. Veruntamen obſervandum in hac quæſtione non unum quod conducat: Nimirum, aliter eſſe conſideranda Scripturæ loca, quæ in Commentariis Patrum, ſive Græcis, ſive Latinis, juſto Librorum Sacrorum, quos explicant, ordine proferuntur; aliter quæ in Scriptis homileticis, aut moralibus, imo & eriſticis aliquando exſtant: in poſteriori genere multum ſibi haud raro indulgere priſcos Doctores, aut memoriæ fiſos nimium, aut dicta pluſcula commiſcentes in unum, aut cum gloſſis paraphraſtice quædam ad ſcopum, aut caput quæſtionis applicantes, aliter ac in Codicibus quos forte non habebant ante oculos cum ſcriberent, reperiebantur. In priori vero genere ſcriptorum, cum preſſius ſit inhærendum textui explicando, minus licuit a Codice verbiſque recedere. Frickius hucuſque; cujus animadverſionem tamen plurimum falſam eſſe arbitramur.

Aliquam nos etiam nempe admittimus diſtinctionem inter Patres Interpretem agentes, eoſdemque oratorie differentes, aut moraliter, aut denique eriſtice; non Frickiano tamen, ſed alio, & quidem idoneo magis ſenſu. Quum enim Patres Scripturam interpretabantur, aut Commentaria ad Libros Novi ac Veteris Teſtamenti concinnabant, non textui, ut ita dicam, utcumque, aut cuicumque adhæreſcebant, ſed ſincerum magis textum inquirebant, & originalem preſſius repræſentantem: non juxta unam tantum citabant ac interpretabantur Editionem ac Verſionem; ſed plures in examen revocabant, plures recitabant, ad Exemplaria Originalia, aut ad Archetypos magis accedentia, ſi facultas ipſis erat, confugiebant: quod utique ceteris in Lucubrationibus ſive moralibus, ſive Eriſticis, ſive homileticis eos præſtare neceſſe minus erat: commodiorem iccirco, aut quæ in promptu magis erat, magiſque propoſito ſavebat, pergebant citare Editionem; uteban-

utebantur, qua poterant, Verſione; adeo tamen ut, nec tunc quidem a verbis phraſique familiaris Codicis, quicumque fuiſſet demum, recedere ſolerent. Eam fuiſſe, quam dixi, Patrum agendi rationem in Commentariis Scripturarum, patet ex Libris *Quæſtionum*, atque *Locutionum* Sancti Auguſtini, in quibus paſſim, imo vicibus infinitis legere eſt: *Quod multi Latini Codices habent: Quod ſcriptum eſt in quibuſdam Latinis Codicibus: Quod habent Latini Codices plurimi: In Codicibus paucioribus, ſed veracioribus ſcriptum eſt.* Prope finem Libri I. Locutionum ſcribit ille Pater: *Quod ſcriptum eſt, " Nunciatum eſt Joſeph, quod Pater tuus turbatur "; aliqui Codices habent, vexatur; aliqui æſtuat; & aliud alii, ſicut interpretari Latini potuerunt quod græce ſcriptum eſt* ἐνοχλεῖται. Id Patrum inſtar præſtitere vel mediæ ætatis Commentatores: ſiquidem, Simonii teſtimonio in Præfatione ad Hiſtoriam Criticam præcipuorum Exegeticorum: *Bede qui a ſçu la langue Grecque, n' eſt pas un Compilateur: il eſt quelque fois Critique; & ſes Retractations ſur les Actes des Apôtres contiennent des preuves evidentes de ſon Erudition. Il fait paroitre beaucoup de jugement & de bon ſens dans tout ce Traitè, ou il raporte en habile homme les diverſes Leçons des Exemplaires, ſoit Grecs, ſoit Latins, du Nouveau Teſtament. Il cite quelque fois un Exemplaire Grec, qui eſt bien different du Grec ordinaire.* Et tamen conſtanti Verſione, Hieronymiana nempe, quam hodie Vulgatam dicimus, ceteris ſuis in Lucubrationibus uſum fuiſſe Bedam, docent Auctores Præfationis ad Romanam ejuſdem ſub Clemente VIII. Editionem. Hac vero tantum methodo, ac non aliter, inter Scripturæ loca, quæ Patres in Commentariis ejuſdem referunt, & ejuſdem Scripturæ teſtimonia in criſticis, aut moralibus, vel Dogmaticis Scriptis rela-

ta, eſſe quidem concedendum diſcrimen aliquod, non modo quæ hucuſque diximus, ſed ipſamet Patrum Opera, natura ipſa rei, & recentiorum Scriptorum neceſſaria methodus fidem faciunt apertiſſimam. Hodierni enim Exegetici, quum Biblia enarrant, ut eorum ſenſum intimum preſſius repræſentent, originales ad fontes, ſeu ad Hebraicos Græcoſque Codices confugiunt, celebriores Editiones in præſidium vocant, ac Variarum Syllogas. Quum ex oppoſito aut moraliter, aut eriſtice, aut oratorie ſcribunt; aut ſuo, aut ſuis, pro Communionum legibus aut libertate, Codicibus utuntur, & ſumma fide Lectiones eorum citant, a vero licet textu, aliqua ſaltem ratione, aliquando abhorrentes.

Nemo fuit ex clariſſimis Amicis, quibuſcum de ſententia mea ſermonem feci, qui me non adeo de Patrum fide ac gloria ſollicitum debere in præſens eſſe arbitraretur, ut demum, nulla reſtrictione facta, inficiari prorſus pergerem, Patres aliquando, licet raro, verba verbis, ſynonyma ſynonymis, dictiones dictionibus ſubſtituiſſe. Certe, inquiebant, ſi quando Patres rhetoricati ſunt, & declamatorium in modum paullulum luſerunt; uti ſe feciſſe adverſus Helvidium Hieronymus teſtatur; tunc Scripturarum ipſos verba memoriter recitaſſe, & phraſim phraſi æquipollente permutaſſe prorſus negandum non eſt. Si quando etiam res divinas poetice tractarunt, & Vatum more, libere ingenio indulſerunt; tunc de Scripturarum ſenſu potius, quam de verbis ac phraſi ſollicitos fuiſſe, erat omnino neceſſarium. Poetis enim in more poſitum eſt, quid Verſus potius, quam quid phraſis prophetica aut evangelica poſtulet, conſiderare, & elegantias Poeticas multo magis, quam accuratum Scripturarum textum conſectari. Si aliorum denique verba referunt (ſubdebant) ſi in Homiliis,
ſecu-

ſecurius agentes, commiſſæ ſibi Plebi panem frangunt; ſuſpicari poſſumus, neceſſarium tunc eos minime duxiſſe, ipſa pura puta recitare Scripturæ verba; ſi maxime aut prolixiora fuerint teſtimonia, aut extemporaliter dixerint de Religione. At ex oppoſito (concludebant) in Dogmaticis, inque eriſticis Scriptis, in quibus adverſus Hæreticos diſputant; ſi quando maxime, non ſemel, ſed iterum iterumque, conſtanter, diverſis in locis, diverſis in Pericopis, eandem Lectionem retinent, eademque utuntur ad inſigne aliquod illuſtrandum argumentum; tunc, inquiebant, eos memoriter, arbitrario, tumultuario, Bibliorum teſtimonia recitaſſe tam poſſibile factu eſt, quam ut Ararim Partus umquam biberit, aut Germania Tigrim.

Verum haud ſcio, quo loco haberi narrationem Critici hi vellent, quam legimus Parte Hiſtoriæ Tripartitæ I. quod videlicet quum Epiſcopi plures conveniſſent, & quidam eorum rogatus eſſet, ut faceret Sermonem Populo, Vir ſcilicet eloquio & ſapientia præditus; ille locus venit in medium, *Tolle lectum tuum & ambula*: ubi pro lecto, *Cubile* dixit: tum Spiridionem Cypriorum Epiſcopum, virum ſanctiſſimum, indignatum in eum, exilientemque de Cathedra Sacerdotali dixiſſe: *Tu melior es eo, qui Lectum dixit, quia verbis ejus uti confunderis?* Hoc autem feciſſe dicitur Populo conſpiciente, mediocritatemque docere perrexiſſe eum, qui eloquio præſumebat. Quæ profecto ſi vera narratio eſſet, oſtenderet apertiſſime, neque extemporalibus & ſubitariis in Homiliis ſolitos fuiſſe Veteres a Scripturarum verbis ac phraſibus vel minimum recedere. Cur enim alterum arguiſſet Spiridion, niſi quod adverſus receptum morem & Leges veluti peccaſſet? Non ab tranſgreſſione vero, ſed ab reprehenſionis motivo eruendæ Eccleſiaſticorum ſunt conſuetudines atque Leges.

ges. Ego quidem narrationem nec rejicio, nec certam dico; tametſi illud adfirmare minus ambigam, nullum adduci certum poſſe argumentum, quo Sanctos Patres vel ſubitariis in Orationibus Scripturæ textus, ſive receptorum teſtimonia Codicum, temere citaſſe cogitemus. Quare ea ſi excipias quæ de Eccleſiaſticis Poetis, ſeu Patrum de Carminibus, amici docuerunt; cetera omnia falſa eſſe (parcant verbis) fidentiſſime pronuncio.

Et ſane, haud video quo ducti argumento nonnulli velint, Patres in Homiliis, & ubi de moralibus agunt, ex ſuorum fide Codicum aut noluiſſe, aut non potuiſſe Scripturas recitare. Illud, concedo, habent, quod Critici hodierni diu noctuque crepant, nempe SS Patres Dogmaticis in Lucubrationibus prudentiſſimos atque accuratiſſimos fuiſſe, in Homiliis liberiores; in illis proprie ac preſſe ſemper diſputaſſe; in iſtis vero, occaſione temporum, locorum, atque Perſonarum adductos, vel adfectuum impetu, & orationis curſu fuiſſe raptos; quam tamen agendi rationem belli homines Criticulorum filii ex ſuo derivarunt cerebello. Si enim Hieronymum audiamus, Patres videntur ex oppoſito liberiores in diſputando fuiſſe, prudentiores autem quum Populum Dogmata docerent. Sic ille quippe in Epiſtola ad Pammachium: *Simul dicimus, plura eſſe videlicet genera dicendi, & inter cetera, aliud eſſe γυμναστικῶς ſcribere, aliud δογματικῶς: In priori vagam eſſe Diſputationem, & adverſario reſpondentem nunc hæc, nunc illa proponere, argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere, panem, ut dicitur, oſtendere, lapidem tenere. In ſequenti autem aperta frons, & ut ita dicam, ingenuitas neceſſaria eſt. Aliud eſt quærere, aliud definire; in altero pugnandum, in altero docendum eſt. Tu me ſtantem in prælio, & de vita periclitantem ſtudioſus Magi-*

ſter

ſter doceas? Noli ex obliquo & unde non putaris vulnus infligere, directo percute gladio; turpe tibi eſt hoſtem dolis ferire, non viribus; quaſi non hæc ars ſumma pugnantium ſit, alibi minari, alibi percutere. Legite, obſecro vos, Demoſthenem, legite Tullium; ac ne forſan Rhetores vobis diſpliceant, quorum artis eſt veriſimilia magis quam vera dicere; legite Platonem, Theophraſtum, Xenophontem, Ariſtotelem, & reliquos, qui de Socratis fonte manantes, diverſis cucurrere rivulis, quid in illis apertum, quid ſimplex eſt? Quæ verba non ſenſuum? Qui ſenſus non victoriæ? Origenes Methodius, Euſebius, Apolinaris multis verſuum millibus ſcribunt adverſus Celſum, & Porphyrium. Conſiderate quibus argumentis & quam lubricis problematibus Diaboli ſpiritu contexta ſubvertant; & quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, dicunt adverſus ea quæ dicunt Gentiles. Taceo de Latinis Scriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario, ne non tam me defendiſſe, quam alios videar accuſaſſe. Eraſmum omittimus, qui in Adnotationibus ad Joann. XVII. de Patribus queritur, quod Hæreticorum odio *Scripturam interdum ad victoriam detorſerint*. Certe vel eorumdem Sanctorum Patrum teſtimonio, minus exacti ac accurati ipſimet eſſe poterant adverſus Eccleſiæ Hoſtes pro Dogmatibus diſputantes, quam ubi ea Chriſtianis didactice explicarent. De Joanne Chryſoſtomo aperte id oſtendit ac teſtatur Millius, num Prolegomenon 872. *In cujus*, inquiens, *Tractatibus, Commentariis, ut & Orationibus ac Homiliis (nam & in his etiam Scripturæ loca accurate ac pene ad verbum allegata reperias) conſpiciendam ſe exhibet maxima pars Textus Novi Teſtamenti, qualis exſtabat in ipſius Codice*. Itaque Patres magis liberi dicendi penes citationes Scripturarum in Polemicis quæ-

ſtionibus, quam in orationibus ac Homiliis; quod ſane eſt contra omnium Criticulorum noſtri temporis mentem atque opinionem. Ceterum an illa diſputandi methodus ac libertas, fidei offecerit citationum, de quibus agimus, erit in loco diſputandum.

Equidem juxta communem Eruditorum ſententiam, non univerſas ipſi ſuas ſcripſerunt Patres Homilias, ſed a feſtinantibus Notariis eo, quo poterant, exceptæ fuere modulo; quare non citantibus Patribus, ſed Amanuenſium celeritati ac indiligentiæ eſſet tribuendum, quod Synonyma Synonymis, verbaque aliquando verbis ſubſtituta in Patrum Scriptis impræſentiarum videamus. Hac opinione tamen haud glorientur Adverſarii, quæ dum Patrum diligentiam ac fidem aſſerit, eorum tamen ſententiam confirmare videtur: qualicumque enim de cauſſa contigiſſet, quod Patrum in Operibus temere citata legeremus Scripturæ teſtimonia, conſequi videretur poſſe, Scripturam adhuc tamen arbitrario in Scriptis Veterum relatam. Scire nempe eos velim, ſolitos fuiſſe Veteres, quos publice proferebant Sermones privatim emendare; qua de re apertiſſima proſtant Gregorii Magni verba, ſuum, arbitror, non tam morem, quam receptum oſtendentia. Scribit ille ſiquidem ad Joannem Ravennatem Subdiaconum Epiſtola XXII. Lib. X. Indictione V. de quibuſdam ſuis Scriptis non recte a Claudio Abbate tranſcriptis, hæcque habet: *Præterea quia idem cariſſimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquentem de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de Libris quoque Regum, & de Heptatico audierat, quæ ego ſcripto tradere præ infirmitate non potui, ipſe ea ſuo ſtylo dictavit, & ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legiſſet, inveni dictorum meorum ſenſum valde in multis*

multis fuiſſe permutatum. Unde neceſſe eſt, ut tua experientia, omni excuſatione atque mora ceſſante, ad ejus Monaſterium accedat, convenire fratres faciat, & ſub omni veritate, quantaſcumque de diverſis Scripturis chartas detulit, ad medium deducant. Quas tu ſuſcipe, & mihi celerrime tranſmitte. Nec enim profecto dubitandum, Chriſtianos Oratores hac in re, uti in ceteris, Gentilium Rhetorum morem imitatos; de quibus nempe ita Leonardus Brunus Aretinus Epiſtola ad Flavium Forolivienſem, Lib. VI. Edit. Cl. Mehus X. *Nam illud nos latere non debet, Oratores ipſos aliter ſcripſiſſe Orationes ſuas, quam dixerant; quod & apud Græcos, & apud Latinos exploratiſſimum eſt; non quod diverſum ſcriberent, ſed quod ornatius & comptius id ipſum, quod dixerant, litteris mandabant, ut quædam in Concione dicta verbis forſitan vulgatis, & apertis, & ad intelligentiam accomodatis, limatius poſtea, correctiuſque ſcripta legantur.* Vel igitur ſi concedamus, Patres aliquando de Religione extemporaliter dicentes, memoriæ lapſu, in Scripturarum citatione verba verbis ſubſtituiſſe, dictionibus dictiones; quod Sermones eos tamen recognoſcerent exinde, retractarent, atque emendarent, injurii in eos erimus, ſuſpicati ſacra ipſos nec tunc quidem ad ſuarum Codices Eccleſiarum exegiſſe teſtimonia, ſummaque, quæ certe fuiſſet, negligentia, adeo luxatas, Poſteris, vel ſubito prolatas, reliquiſſe Orationes.

Interim unum Adverſarios rogo; an videlicet hodierni Oratores Sacri, ac Concionatores, quorum magna pars adeo a Patribus diſtat, uti leviores diſtant lapides a montibus altis; quorum & magna pars Biblia toto vitæ tempore numquam præ manibus habuit, aut de illis ne cogitavit quidem; an, inquam, Concionatores iſti, ubi verba Scripturarum recitant, ea memoriter arbi-

arbitrario, ac tumultuario citent? an ubi ſe citare ajunt, de ſenſu potius, quam de Sacri Scriptoris phraſi ac verbis ſolliciti eſſe videantur? Profecto talem neque audivi umquam, neque fuiſſe mihi procul dubio compertum; etiamſi leviſſimos ac ignariſſimos audierim. Qua ratione igitur Patres adeo ſtudio Scripturarum deditos, adeo dictorum Sancti Spiritus tenaces, id ſibi permiſſum credere poterimus in ſuis ad Populum Cathecheſibus ac Homiliis, quod ne rudiores quidem noſtri ſæculi Oratores, quique ſibi maximam in dicendo licentiam permittunt atque libertatem, fas ſibi ac licitum exiſtimant? At Patres extemporaliter de Religione dixerunt aliquando. Utique & hoc verum; ſed & hodierni, uti vocantur, Miſſionarii, & plurimi de grege Concionatores, extemporaliter verba faciunt Populo; nec tamen arbitrario, ubi ad Scripturas ventum eſt, illas recitant, ſed in tritis, ac uſitatiſſimis ſe continent ſententiis, in iis quæ perviæ ſunt, quas quotidie in Breviariis recitant, quas vel a Pueris memoriæ mandavere.

Duo equidem in cauſſa eſſe mihi videntur, quare perperam adeo de Patrum methodo ſenſerint Adverſarii. Alterum eſt, quod Scripturæ verba Patrum in Operibus excuſa non videant diverſo charactere a Contextu Patrum: Alterum, quod illa Scripturarum teſtimonia, ita aliquando ſint a noſtris Editionibus diverſa, ut paraphraſim redoleant potius atque Commentarium, quam alicujus Editionis, ſeu Verſionis deperditæ etiam textum. Verum priori difficultati ut faciam ſatis, animadvertendum propono, ſat recentem eſſe illam characterum diſtinctionem ad ſententias Scripturarum, Orationi Patrum intertextas, diſcriminandas a reliquo Contextu. In vetuſtioribus Codicibus nullæ hujuſmodi notæ erant; itaque & nullas poſuere aliquando

quando recentiores Patrum Editores, ne liberius quam par eſſet, falcem in alienam meſſem immittere viderentur. Vel in Typographiæ incunabulis, & multis etiam poſt divinum illud inventum annis, ita XV. Sæculi Scriptorum Opera edita videmus, ut eodem charactere & Auctoris contextus, & aliorum imprimerentur citationes. Utinam & majori in luce, & gravioribus in Scriptis, poſtea etiam id factum non fuiſſet. Utinam & meis Operibus illam caviſſem ſemper, non utique Typographorum, indiligentiam. Inter præjudicia igitur potius, quam inter vera dignoſcendis citationibus obſtacula, hocce videtur recenſendum.

Sed & alterum, quod memoravimus, haud minus quam primum, ad præjudicia noſtra arbitror referendum. Qui enim uni Editioni Vulgatæ aſſueti conſtantiſſime ſumus (quod tamen optima lege factum) qui, eam quotidie audiendo legendoque, ejus etiam modum & phraſes, & verba, & dicendi genus, habemus alta mente repoſtum; imaginari vix poſſumus, diverſa adeo interpretatione fuiſſe donatos olim Sacros Libros; periphraſimque aut paraphraſim apud aures noſtras reſonat, quod vel tantillum a Vulgata Lectione recedit; vix vero Spiritus Sancti non dicam textum, ſed vel ſenſum redolet, quod ab Editione noſtra diſtat plurimum. Hoc ut inductione oſtendam apertiſſima: da mihi Germanicum ex primævis illis Auguſtanæ Confeſſionis Theologum, aut Concionatorem, qui notiſſimum Pſalmum primum tibi citet hoc modo: *Ut dicitur in Pſalmo*: *Beatus ille, qui conſiliis impiorum non acceſſerit, nec inſtituto flagitioſorum vixerit, & cum malitioſis ſocietatem non inierit. Sed in inſtitutione Autophyis animum ſuum babet, eamque die ac nocte commentatur. Habebit is inſtar arboris in irriguis ſatæ, quæ in tempore fructum ſuum reddit. Et foliis eſt numquam*

quam inareſcentibus. Nam quicquid egerit, fælix erit & fauſtum. At ſecus improbi, ii ſiquidem quiſquiliis ſimiles erunt, quas diſpellit ventus. Quare improbi in judicium producti, haud quaquam conſiſtent, neque ſtabunt flagitioſi in Comitiis Juſtorum. Etenim vita Juſtorum curæ eſt Authophyi, vita autem improborum diſperibit. Bone Deus! dices: Iſte eſt Pſalmus *Beatus vir?* Non tantum memoriter, arbitrario, tumultuario recitatum dices, ſed qui illum ſe citare arbitratur, ebrium, vel mente captum conſiderabis. Et tamen ita exhibebat Editio Aretii Felini [quiſquis ille fuerit] cujus magnus fuit priore magni Schiſmatis tempore uſus, uti videre eſt apud Joannem Coclæum in Diſceptatione de Novis ex Hebræo Tranſlationibus Sacræ Scripturæ; qui & de numeroſitate, copia, ac diverſitate Latinarum ſui temporis Verſionum altiſſime conqueritur, non ſolum a Proteſtantibus editarum, ſed etiam ab Orthodoxis: nam alius, ut ipſe ait, ſic tranſtulit: *Beatus vir, qui non ambulavit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in conſeſſu deriſorum non ſedit;* Alius ſic: *Beatitudines viri, qui non ambulavit in conſilio impiorum*; Alius ſic: *Beatum hominem, qui non adit conſilia impiorum*; Alius ſic: *Modis omnibus beatus ille vir, qui non ſecutus eſt conſilium eorum, qui ſine certa lege vivunt; Neque ſocius fuit eorum qui ſtudio faciunt male; multo minus eo dementiæ pervenit, ut impoſtorum illi vita placuerit &c.* Quæ quidem verba illarum Verſionum ignaro viderentur male recitata, atque ex memoria citantis Scriptoris; & tamen veræ & authenticæ fuiſſent illarum Editionum citationes.

Similiter, ſi quis ex Germanicis Auguſtanæ Confeſſionis Theologis aut Concionatoribus Pſalmum ultimum citaſſet ex Editione Munſteri, qui aliquanto propius noſtro textui in Tranſlatione ſua accedit, crederet

Digitized by Google

ultimum quidem ab hujuſmodi Scriptore citatum Pſalmum, ſed aliquando verba verbis, dictiones æquipollentes dictionibus ſuppoſuiſſe. Ita enim in illius Editione: *Laudate Deum in Sanctitate ejus, Laudate eum in firmamento potentiæ ejus, Laudate eum propter fortitudinem ejus, Laudate eum juxta excellentem magnitudinem ejus, Laudate eum in clangore tubæ, Laudate eum in nablo & cithara, Laudate eum in tympano & choro, Laudate eum in chordis & organo; Laudate eum in cymbalis ſonoris, laudate eum in cymbalis clangentibus, omnis Spiritus laudet Dominum*. Verum idem ille, ſi Scriptorem legeret recitantem eundem Pſalmum ex Editione priori Pellicani, aut ex altera Felini; ſtatim arbitraretur profecto, multum ſibi in illa citatione indulſiſſe hujuſmodi Scriptorem, aut memoriæ ſiſum nimis, aut dicta pluſcula commiſcentem in unum, aut cum gloſſis paraphraſtice quædam ad ſcopum aut caput quæſtionis applicantem, aliter ac in Codicibus, quos forte non haberet ante oculos quum ſcriberet, Pſalmum recitaſſe. Sic enim ille ex Felini Verſione: *Laudate exiſtentem, laudate præſidentem in ſacrario ſuo, Laudate eum regnantem in æthere, ſede potentiæ ſuæ, Laudate eum pro virtute ejus, Laudate eum pro ampla magnitudine ejus, Laudate eum cum clangore buccinarum, Laudate eum cum fidibus & cithara. Laudate eum cum tympano & tibia, Laudate eum organo & fiſtula. Laudate cymbalis ſonoris, laudate eum cymbalis clangentibus. Quicquid eſt præditum ſpiritu laudet exiſtentem. Laudate exiſtentem*. Et tamen Scriptor ita citans, memoriter certe non deſcripſiſſet, dictionem dictione æquipollente non permutaſſet, nec verbis ſuis verba Scripturæ inſeruiſſet, nec dictionum caſus, numeroſque reliquo contextui ad libitum accomodaſſet, nec tandem de ſenſu ſolum, non de verbis ſollicitus fuiſſet,

ſuiſſet; ſed verum Felini textum, veram ejus citaſſet Editionem.

Scio Translationes hujuſmodi Hebraico ex fonte derivatas; quod dici non poteſt de antehieronymianis, quæ omnes ad LXXviralem textum exactæ referuntur. Sed, ut nec adeo ab LXXvirali textu recedunt teſtimonia a Patribus citata, uti a Vulgata noſtra laudatæ Editiones; ita illud etiam verum, Luciani, Heſychii, Symmachi Verſiones a LXXvirali diverſiſſimas fuiſſe, omneſque illa ætate obtinuiſſe, uti Exemplaria omnium fuiſſe corruptiſſima: qua de re in loco. Relate vero ad Novum Teſtamentum, nonne & reliqua ſunt hodie MSS. in quibus idem diverſitate maxima effertur? Nam Matth. XX. 28. aliud legit: *Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de minore majores fieri*. Aliud: *Vos autem quæritis de minimo creſcere, & de magno minui*. Aliud: *Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de majore minores fieri*. Aliud: *Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de magnis majores eſſe*. Aliud: *Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de infimis ad ſumma tranſire*. Quibus de Lectionibus, in MSS. antiquiſſimis repertis, fuſe recentiores Exegetici.

Remanet ergo, ut credamus, Sanctos Patres ubicumque ſe Scripturarum verba adducere oſtendunt, ubi ajunt ſe teſtimonium dicere ex Scripturis, ubicumque Orationis ſenſus & contextus ſatis indicant memoratam tunc aliquam ſententiam Scripturarum; tunc, inquam, Patres non tumultuario, ſed ex ſuorum fide Codicum citaſſe. Diſtinguendas & nos quidem remur alluſiones, quas Patres ad aliquas faciunt Scripturæ phraſes ac Hiſtorias, ab ipſis Scripturarum citationibus; diſtinguendam etiam arbitramur phraſim eorum aliquando Scripturalem a teſtimoniis Scripturarum. Verum, uti non negandum, prophanos Scriptores, etiamſi alle-

ſi alludentes ad Hiſtorias, ſententias, apophtegmata & adagia veterum Scriptorum, ipſa eorum tamen verba vere adducere ac referre; ita & antiquiſſimos Eccleſiaſticos Scriptores negandum non eſt, non modo ad adagia & Apophtegmata, ad Hiſtorias ac ſententias Sacrorum alludere Scriptorum, ſed & ipſa eorum ſuis variiſque ex Editionibus fide ſumma citaſſe verba; ubi maxime, uti Vir doctiſſimus monebat, iterum iterumque eadem, inſolita licet, utuntur ſacra phraſi, eaque in loco, in tempore, & maxima de cauſſa utuntur, ejuſque e ſinu colligunt argumenta, ac teſtificationes ad oſtendendam evincendamque magni momenti veritatem.

Ne ratiocinio vero ſolum nos diſputare in præſens videamur, age, ſpecimen Sacrarum adferamus Lectionum, a noſtris receptiſque hodie diverſarum, quas ſuis Patres in Operibus retulerunt, quaſque cum nuperis inventis antiquiſſimis Bibliorum Exemplaribus, eorundemque Lectionibus mirifice conſonare obſervatum eſt. Edidit Londini Samuel Chandlerus Caſſiodorii Senatoris Complexiones in Epiſtolas, Acta Apoſtolorum, & Apocalypſim, quas e vetuſtiſſimis Canonicorum Veronenſium membranis eruerat, primuſque luci publicæ commiſerat Cl. Marchio Maffejus; ſuæque Editioni Præfationem præfixit Chandlerus, in qua, Anglorum Editorum more, ſollicitus ante cetera eſt, de Codicibus Sacris, e quibus ſuas a noſtris diverſas deduxerat Lectiones Caſſiodorius. Quum enim antiquus ille Commentator tanto ſtudio Monachis præceperit olim ſuis, ut præſtantiſſimis, & Græci etiam textus collatione repurgatis Exemplaribus uterentur, utque ambiguis in locis duorum vel trium priſcorum emendatorumque Codicum auctoritas inquireretur; quin ipſe in primis illud præſtiterit, minime dubitandum eſſe cum

Maſ-

Maffejo cenſet novus Editor, qui laudata in Præfatione ita ſcribit: *Operæ pretium eſt textum Auctoris, & Codices Novi Teſtamenti, quibus uſus eſt Caſſiodorius, paulum conſiderare. A noſtris ſane, qui hodie in uſu ſunt, in multis diſcrepabant. Nam quædam hic leguntur, quæ alibi vix occurrunt; ac quædam deſunt, quæ in pleriſque Manuſcriptis invenire eſt. Obſervavit Maffejus, quam inſigniter diſcrepabat Verſio Act. XX. 7. a Vulgata. Huic addas I. Corinth. XI. 29. II. Epiſtola X. 7. & Hebr. I 1. alioſque his ſimiles locos.... Lectiones aliquot Caſſiodorius nobis ſuppeditat, ex quibus loca nonnulla Novi Teſtamenti haud parum lucis fœnerentur. Sic Actorum XXVII. 14. plerique Codices legunt* Euroclydon. *At quinam eſſet iſte ventus, aut unde ſpiraret, omnibus ignotum fuit. Clariſſimus Bentleius vidit mendam, & locum emendavit, legens* εὐρακύλων *cum MS. Alexandrino, ſive cum Vulgato Latino,* Euro Aquilo, *ut habet etiam Auctor noſter. Item Actorum Cap. XIV. cum Paulus Lyſtræ claudum verbo ſanaverat, Vulgus, ut ſacer Hiſtoricus nos docet, rei tam mirandæ conſpectu adeo percellebatur, ut eum & Barnabam pro Deis haberet, qui humana ſpecie deſcendiſſent, & ut v. 18. dicitur,* " vix compeſcuerunt turbam, ne ipſis ſacri-
,, ficaret ": *Verbis autem proxime ſequentibus, quam inopinatam opinionis mutationem invenimus!....Nam*
,, ſupervenerunt quidam Judæi Antiochia & Iconio,
,, qui, perſuaſa turba, Paulum lapidatum traxerunt
,, extra Urbem ": *Atque ita in omnibus fere Exemplaribus locus hic legitur. Certe Vulgi animos admodum mobiles eſſe & inconſtantes ſatis notum eſt. Tanta autem & tam ſubita mentium converſio, ut quem, ob factum ſtupendum paulo ante viſum, pro Deo habuerunt, & divino cultu proſequi pararunt, eum ſtatim lapidarent, omnino ſane nova & inaudita videtur. Sed huic dubitatio-*

tationi optime ſubvenit, atque omnem difficultatem tollit Caſſiodorius, membro interjecto, ita legens : " Cumque
„ ibi commorarentur, & docerent, ſupervenerunt &c.
Atque hanc Lectionem ulterius confirmat vetuſtiſſimus MS. Codex Actorum Apoſtolorum Græco-Latinus, literis quadratis, vel uncialibus, ut vocant, exaratus, qui in Bibliotheca Bodlejana adſervatur, atque paucis ab hinc annis eadem forma qua ſcriptus eſt, typis edebatur. In hoc enim Libro locus de quo agimus, græce ita legitur : Διατριβόντων δὲ αὐτῶν κʼ, διδασκόντων, ἐπῆλθον. *Latine vero*: " Demorantibus autem eis, & do-
„ centibus, ſupervenerunt ". *Attamen ſi, ut obiter id moneamus, Verſio hæc ſit vetus Italica, quod ſtatuit Millius; Caſſiodorium ea haud uſum fuiſſe, ut autumat Maffejus, cum ex hoc loco, tum ex aliis etiam quamplurimis ejuſdem Codicis manifeſtum eſt.*

Majorem nobis exponit ſegetem eruditiſſimus Abbas Garbellus in celebri Epiſtolica Diſſertatione ad Joſephum Blanchinum, in qua celeberrimum Monaſterii Brixiani Sanctæ Juliæ Evangelicum deſcribit MS. Obſervat in primis deſiderari in illo commata, quæ Patres Veteres aliquibus deeſſe in Codicibus dixerunt. Ita ſcribit vero: *Dixeram ex Antigraphis illis manaſſe, quæ ante Hilarii tempora ferebantur. Beatus Auctor Lib X. de Trinitate num. 41. ubi de Pericope illa loquens Lucæ XXII. 43. 44. Et factus in agonia prolixius orabat : Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram: quæ in Codice noſtro deſunt:* " Nec ſane, *inquit*,
„ ignorandum a nobis eſt, & in Græcis, & in Latinis
„ Codicibus complurimis vel de adveniente Angelo,
„ vel de ſudore ſanguinis nil ſcriptum reperiri. Am-
„ bigentibus igitur, utrum hoc in Libris variis aut deſit,
„ aut ſuperfluum ſit (incertum enim hoc nobis relin-
„ quitur de diverſitate Librorum) certe &c. " *Qua de*

re, aut quo ſæculo expuncta fuerint verba illa, aut a quibus, in obſcuro eſt. Locus alter, uti in Codice noſtro, ſic ab Hilario lectus eſt. Matth. XXVI. 53. " An putas,
„ quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibe-
„ bit mihi modo pluſquam duodecim millia Legiones
„ Angelorum? *Hilarius de Trinitate X.* 42. Nec ſibi
„ Angelus mittitur, qui, ſi vellet, duodecim millia Le-
„ gionum de cælo deduceret. *Et in Pſalmo LIII.* Quia
„ cum duodecim millia Legionum Angelorum poſ-
„ ſent in tempore paſſionis aſſiſtere. *Et ſic rurſus Pſal-
„ mo LIV.* Sed inter hæc habens poteſtatem duode-
„ cim millia cæleſtium Legionum evocare.

Video non eadem eſſe verba Codicis Brixiani, ac Hilarii. Verum non citat proprie tunc S. Pater, ſed ex Hiſtoria Evangelica ratiocinatur. Ita autem noſtrum vim ſumit argumentum. Ea ratione, qua Eraſmus, ac Millius putarunt perperam, Hilarium tunc memoria lapſum, quia Editi habent *duodecim Legiones*, non *duodecim millia Legionum*; & ea etiam de cauſſa, quod in Canone XXXII. in Matthæum legat, ut Editi; ubi non certe memoria lapſus, ſed ſuum, & a nunc Vulgato diverſum, ſequutus Codicem, uniformitate maxima, diverſis licet loco & materia Pericopis, majorem illum numerum inculcat, qui tandem cum Brixiano Exemplari conſonare conſpicitur: ita & univerſi, qui temere Patres citantes inducunt, errare noſtra videntur ſententia; quum phraſes allegatæ, & citata aliquando verba, licet ab hodiernis Ecgraphis longe recedentia, potuerint cum deperditis, cum nondum eruderatis Antigraphis convenire, licet Patres ceteroquin ſecundum Editiones vulgatiores ac præſentes citaverint non ſemel: quod non Adverſariorum ſuſpicionem quidem de arbitrariis citationibus, ſed noſtram potius de promiſcuo ſimultaneoque Variarum, diverſarumque Edi-

tionum

tionum uſu apud Veteres confirmat quammaxime ſententiam. Quare videt quiſque, non ſuperſtitioſum eſſe noſtrum hoc de Patrum authenticis citationibus cogitatum; ſed ampliſſimam imo in iiſdem præconcipere libertatem; non Maſſuetianam quidem, indoctam, ac puerilem, qua temere ſacræ Scripturæ teſtimonia recitarent; ſed caſtam ſanctamque libertatem, maſculam atque ſolidam, eorum cum pietate ſimul ac doctrina, cum gravitate ac majeſtate conjunctam; libertatem denique qua pluribus uterentur Editionibus, ut illorum œconomia temporum, ipſa SS. Patrum teſtimonia, ipſæmet citationes, & inventi Codices ſolidiſſime evincunt.

Sed quoniam S. Hilarii injecta eſt mentio; non modo Garbelli, ſed & Millii ſententia eſt, eum, ſiquem alium ex Patribus, fuiſſe maxime addictum ſacri Codicis textui: Ita de illo ſiquidem Scriptor iſte, num. Prolegomenon 782. *Hilarium vero quod attinet (Ambroſiaſtrum vulgo dictum, quoniam Commentarii ejus ſub Ambroſii nomine prodierunt) is certe cum ſcripta ſua teſtimoniis ſacri Codicis paſſim teſſelarit, tum & in Commentariis univerſas Epiſtolas D. Paulli (excepta una ad Hebræos, de cujus auctoritate nondum convenerat inter Latinos) ex Italicæ verſionis textu, qualis tum temporis ferebatur exbibuit*. Qua in re teſtem Simonium advocat Hiſtoriæ Criticæ N. T. Vol. II. Cap 6. Quinimo pauciſſimas apud Hilarium interpolatas citationes adnotat idem Millius, eaſque omnes cum aliorum ſynchronorum Patrum citationibus, cumque pluribus Sacris Codd. convenientes agnoſcit.

Alterum exemplum eruit Garbellus, e Tertulliani loco, a Millio non obſervato, ex quo clariſſime liquére ait, Scriptorem illum, ſic olim, ut in Brixiano Exemplari, ſuo in Antigrapho legiſſe; quod

quidem in laudata Epiſtolica Diſſertatione legendum relinquo ſagaciſſimo Lectori; uti & innumera, quæ proſtant in adnotationibus Nobilii ad Verſionem Interpretationis LXX. Innumeræ profecto Lectiones in eiſdem comparent, ita cum laudatis etiam Codicibus convenientes, ut abunde & certiſſime pateat, haud alia ratione diſſonaſſe inter ſe Lectiones Patrum, niſi quod ita etiam diſſonaſſent, quæ reliquæ aut in Codicibus, aut in fragmentis ſunt Lectiones illius temporis Exemplarium. Si ſolus profecto Grabii ceterorumque Alexandrini Codicis Editorum exſtaret labor; parcere libens vellem ſuſpicantibus, varias illas Patrum Lectiones, quæ cum vulgaribus Codicibus non conveniunt, & nullibi reperiuntur, temere fuiſſe pronunciatas. Sed poſt pervios Nobilii, Simonii, Dupinii, Millii, Blanchini & aliorum in præſens editos Libros, in quibus tot Lectiones ſacræ Patrum, cum reliquis fragmentis ac Codicibus conſonantes; poſt illas Patrum Lectiones, quas cum Veronenſi MS. contulit doctiſſimus Vallarſius, in adnotationibus ad Tomos IX. & X. celeberrimæ Editionis ſuæ S. Hieronymi; quum & certum atque compertum ſit, Editiones plurimas veteres irreparabili, ut ajunt, fato deperditas nunc eſſe, & aliquas adhuc tamen latitare poſſe: haud video, qua ratione, qui Critice gloriantur, tam abſonam tueri poſſint, tam rationi, ac jugi Patrum ſtudio erga Scripturas Sacras, menti denique ſummorum in Litteraria Republica Virorum adverſam oppoſitamque de ſubitariis Patrum citationibus opinionem. Sed de hujuſmodi apud Veteres Lectionibus, ab hodiernis diverſis, ac veluti confuſis, uberior erit in altera hujus Commentarii Parte diſputandi locus.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

DE AUTHENTICIS

SACRARUM SCRIPTURARUM APUD SS. PATRES LECTIONIBUS

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Enodantur eorum, qui Veteres Scripturam temere citaſſe docent, argumenta, ex methodo Patrum oratoria, exque teſtimoniis Veteris Teſtamenti ab ipſiſmet Apoſtolis arbitrario, ut ajunt, pronunciatis derivata.

MAgno verborum ambitu res agenda foret, ſi omnibus omnino Adverſariorum conjectationibus occurrendum eſſet. Itaque de ſolidioribus modo in ſpeciem argumentis ſolliciti erimus. Primum deſumit Barzanus ex methodo Patrum oratoria, qua uſos eos etiam, poſt Dallæum arbitratur, in Polemicis quæſtionibus; quam quidem methodum, eorum in citationes etiam influere potuiſſe conſtituit. Mirabar ego vero vehementer, Dallæum in ea cauſſa Judicem quæri, in qua Partis vices egit violentiſſimas. Ubi enim inveniri Scriptor poterit, qui virulentius ardentiuſque ad labefactandam auctoritatem Patrum ſcripſerit? Sit Dallæus tamen ipſe, qui idoneam minus eſſe oſtendat conſequutionem, quam ſuis ex præmiſ-

ſis eruit Barzanus. Siquidem in univerſo, eoque ſagaciſſimo Dallæi adverſus Patres Libro, infinita inter argumenta illa, & innumera ſophiſmata, nec verbulum invenire quidem eſt de tumultuariis Patrum Citationibus, eo in ſenſu, quo in præſens diſputamus; quod, uti quiſque videt per ſe, fortiſſimum fuiſſet argumentum ad auctoritatem eorum enervandam non dicam, ſed penitus evertendam. Quî enim ſenſus Scripturarum, & veri Traditionis teſtes eſſe poſſent ii, qui ſæpenumero Scripturas temere repræſentaſſent? Quot certe tunc falſa conſectaria! quot inde derivari debuiſſent hallucinationes! Quid? quod falſas Franciſci Veroni in Novi Fœderis Francica Verſione interpretationes notat ipſe Dallæus; arbitrarias reprehendit etiam Catholicorum Verſiones ac citationes in aliquibus Operibus ac teſtimoniis Patrum: ſed ex oppoſito de temerariis relate ad Scripturam citationibus Sanctorum Patrum, adverſus quos lis, & cauſſa, & totus Liber eſt, ne ſomniavit quidem; indicium, uti ego arbitror, evidentiſſimum, præconceptum adhuc eum habuiſſe, in adeo mediocri quam tamen de Patribus habuit opinione, ipſos Textubus ſuarum adhæſiſſe Verſionum, & nil niſi ex fide Codicum citaſſe.

Nec inobſervatam Dallæo credas rationem agendi Patrum erga Sacram Scripturam. Siquidem tametſi fateatur, eos in Scripturis Sacris fuiſſe verſatiſſimos, eaſque longe majori veneratione, quam reliqua omnia ſcripta, fuiſſe proſequutos; ſæpe tamen in iis allegandis hallucinatos fuiſſe contendit Lib. II. Cap 3. *De vero uſu Patrum*. Sed quomodo? Num arbitrariis ac tumultuariis Citationibus? Num Lectionibus memoriter pronunciatis? Minime ſane gentium. Sed quod Juſtinus locum e Sophonia citet, qui apud Zachariam habetur, & alibi Jeremiam pro Daniele ponat: Quod Hilarius mo-

monuerit, Paulum Actorum XIII. quædam verba ex primo Pſalmo afferre, quæ tamen in ſecundo reperiuntur: Quod Epiphanius ex Hiſtoria referat Evangelica, Jeſum Chriſtum dixiſſe Matri ſuæ, *Noli me tangere;* quum tamen non legamus iis uſum verbis, niſi ad Mariam Magdalenam: Quod Gregorius Pontifex hujus nominis ſecundus in Regem Oziam acriter invectus ſit propter comminutum Serpentem æneum, quemque ideo Fratrem Leonis Imperatoris Iconoclaſtæ vocet; convitio, ex Auctoris mente, infando, quo illum putabat ſceleſtiſſimis ac perditiſſimis Principibus accenſeri; quum Scriptura ex oppoſito non Oziam, ſed Ezechiam Serpentem confregiſſe æneum doceat, idque ei non probro, ſed laudi vertat: Quod Gregorius Nazianzenus ſcripſerit, Davidem in eum animadvertiſſe, qui Abſalomi mortem ipſi nuntiavit: Quod æſtu Rhetorices captus denique Ambroſius uni ex Machabæis fratribus, qui ſub Antiocho paſſi ſunt, Orationem tribuat, in qua mentio fit Joannis & Jacobi filiorum tonitrui, Chriſti Apoſtolorum, qui tamen nonniſi longo poſt tempore in vivis fuerunt. Hæc, aliaque ſimilia ſphalmata, quæ in Operibus eorum etiam qui hodieque Vulgatam ſumma religione citant, ſæpenumero occurrunt, & Patribus forte exciderunt, longa proſequitur Oratione Dallæus; quin tamen eo deveniat, ut talem oſcitantiam ipſis ac indiligentiam, tantam in Scripturarum Citationibus objiciat libertatem, qua verbis verba, ſynonyma ſynonymis, phraſes phraſibus ſubjeciſſe videantur.

Conſequutionem hanc ex principiis Dallæi, vel ipſo invito, erui vidiſſet Cl. Barzanus, ſi duos Hominis legiſſet Libros de Scriptis quæ ſub Dionyſii Areopagitæ, & Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur, quibus demonſtraturum ſe ſpopondit Dallæus, illa ſubdi-

titia eſſe, diu poſt Martyrum, quibus falſo tribuuntur, obitum conficta; idemque de illis judicandum, quæ de Operibus Chriſti Cardinalibus habentur inter Cypriani monumenta. Secundi nempe Libri Capite XVII. argumentum inde adverſus Ignatiana ducit, quod eorum Scriptor quandam Salomonis ſententiam ita efferť, ut Scripturæ verbis verba ſua immiſceat, nec Apoſtoli ſententiam debita fide referat; quod ab Scriptorum Eccleſiaſticorum more, & ab ea reverentia, quæ Sacris Scripturis a Martyre debetur, alienum eſſe cenſet Gallus Scriptor. Cur Librum vero de Operibus Chriſti Cardinalibus Cypriano abjudicat, niſi præcipue, quod eadem Scripturæ teſtimonia, aliter Auctor Libri, aliter citet Carthaginienſis Præſul? Indicium certe evidentiſſimum, Patres, ejus opinione, Editionum adhæſiſſe textubus; ſecus enim totum in auras abiret, & nullius eſſet ponderis, ejus argumentum.

Haud deſunt vero doctiſſimi etiam Viri, qui tueri pergant, Cenſuram illam de methodo Patrum oratoria, aliud profecto non eſſe, quam teterrimam calumniam ab Adverſariis Patrum inventam: quodque veritatem periculo exponere videantur aliquando, non nimio, quo ferebantur, animi fortaſſe æſtui, non illorum inconſtantiæ, ſed Myſteriorum potius obſcuritati, vel etiam quandoque perverſitati Legentium dicant tribuendum: futurum etiam, ut iniquæ reperiantur audaciorum Criticorum querimoniæ, ſi Patrum doctrina paullo intimius pervadatur; quod in quæſtionibus Gratiæ Noriſius, ac Bullus in rebus ad Trinitatem pertinentibus, perfecerunt: quamobrem recte ab exceſſu, quo de agimus, Patres vindicati. Concedamus adhuc tamen, SS. Patres aliquando diſputantes, ſimiles æſtimandos cuipiam Plantatori, qui recentis Plantæ correcturus averſionem, ita immoderate illam retorquet,

ut

ut a medio abducat, & in contrarium latus ramum inflectat; id, ut eorum fidei in veris Dogmatibus propugnandis, ita eorum etiam ſinceritati in citandis Scripturis derogare non poteſt. Rhetorum ætas dici poſſunt priora Chriſtianæ Religionis ſæcula. Quare ea ratione, qua Patres allegorias ſequuti, vel a Criticis Proteſtantibus vindicantur; quod id præſtiterint, ut Judæos allegoriis deditos lucrifacerent; & ſicuti eo quo poterant modulo philoſophati ſunt Scriptores veteres Chriſtiani, ut Philoſophorum ſibi conciliarent animos, eiſque majori, qua valebant, perſpicuitate proponerent quæ ceteroquin benevolis auribus recipere detrectaſſent: ita & rhetoricati ſunt, ut ſe moribus illorum temporum ac Scriptorum accommodarent. Oratoriam in aliquorum Patrum elucubrationibus methodum confeſſi ſunt Sixtus Senenſis, Baronius, Stapletonus, Fevardentius, Hardingus, Maldonatus, quin de orthodoxa eorum ſententia dubitarent. Rivetus, qui Dallæo mirifice præluſit, & a quo iſte materiæ ſummam, & formam argumenti adverſus Patres accepit, ſtatuit quidem, in contentioſis Scriptis & Diſputationibus eum fuiſſe communem Patribus Sanctis morem, ut dum errorem unum omni virium conatu deſtruere anniterentur, ſæpe alterum in oppoſitum vel deciderent, vel quodammodo decidiſſe viderentur: adeo tamen abeſt, ut argumentum deduci crediderit inde poſſe, Patres arbitraria etiam uſos ac tumultuaria citandi Scripturas ratione, ut diſertiſſime Tractatus de Patrum auctoritate VIII. Capite definiat, *Sacrá Biblia ipſorum Patrum variis variorum temporum Lucubrationibus, ſive exegeticis, ſive didacticis, vel Polemicis ita inſerta & inſperſa extare, ut inde, ſi exemplaria aliunde non ſuppeterent, levi negotio reſarciretur Scripturarum corpus.* Vel apud audaciores ergo Criti-

Criticos agitur de Diſputationis æſtu, de nimia & inconſiderata emphaſi, de non ordinato quodam ac nimium vehementi veritatis propugnandæ ſtudio; agitur de materia, de rebus, de argumentorum genere, de ſignificantibus nimis expreſſionibus in Operibus Veterum contentis, non de citatione Litteræ ac verborum, aut ſolius ſenſus ac ſententiæ Scripturarum: quare cognoſcas apertiſſime, nullum extundi jure ac merito ea ex doctrina poſſe pro noſtra quæſtione argumentum.

Si ex quo revera nos Catholici tuemur, Patres hæreſim aut errorem aliquem oppugnare totis viribus pergentes, magno Diſputationis Dogmatumque propugnandorum æſtu, contrariam aliquando in partem argumenta quidem ſua valide nimis inflectere ſolitos, adhuc tamen a ſinceræ fidei rectitudine numquam declinaſſe, fuiſſeque ſemper acerrimos Fidei Orthodoxæ vindices; ſi inquam, ex quo hoc defendimus, extundere ipſe vellem, ipſos Textubus ac Verſionibus adhæſiſſe ſuis, eadem ipſos verba quæ in Editionibus erant, fide recitaſſe maxima: nonne dilutum, elumbe, nulliuſque ponderis videretur hujuſmodi argumentum? Noſtra etiam, & quacumque ætate, qui diſputare contra aliquem errorem ſolent, videntur in oppoſitum impingere; nec hodiernos tamen Polemicos Theologos, aut Sacros Oratores, illius libertatis, cujus reos faciunt Patres, poſtulabunt Adverſarii. Dubitaret-ne Cl. Barzanus, Juriæum, Baelium, Clericum, ceteros Polemicos Proteſtantes, methodo uſos oratoria, quum adverſus nos diſputare perrexerunt? Haud credam. Num ex eo ſequitur, eoſdem Scripturam memoriter ac temere citaſſe? Negabit. Haud igitur peremtorium eſt pro tumultuariis Patrum citationibus, deſumtum ex Oratoria eorum methodo momentum.

Alte-

Alterum proponit Barzanus hiſce verbis: Neque res „ admodum mira (inquit num. doctiſſimæ Epiſtolæ „ ſuæ III.) Patres ſe non tam ſollicitos de vocibus , „ quam de ſenſu, præſtitiſſe; cum ne ipſos quidem „ Novi Teſtamenti Scriptores ab eodem more abhor- „ ruiſſe compertum habeamus". *Ubicumque de Veteri Inſtrumento Evangeliſtæ ac Apoſtoli teſtimonia protulerunt, diligentius obſervandum eſt, eos non verba ſecutos eſſe, ſed ſenſum,* "teſtatur D. Hieronymus in Epiſto- „ la ad Algas. Unde admonet *Vindiciarum veritatis Hæbraicæ* Auctor Parte II. Cap. 3. ubicumque „ iſti ſive a LXX. Interpretum Translatione, ſive a „ textu hebraico diſcrepant, generalem Canonem te- „ nendum eſſe, " *Apoſtolos & Evangeliſtas, in citandis Scripturæ teſtimoniis ſenſum ſpectare, non verba numerare, utpote de quibus nec admodum ſolliciti fuerunt, nec eſſe debuerunt; cum rei veritas non in verbis conſiſtat, ſed in ſententiis. Hinc verba quandoque alia ſubſtituerunt, menti ſuæ exprimendæ accomoda. Interdum etiam quædam de ſuo, ut Interpretes, addiderunt ad illuſtrandam ſententiam.* Quarum pondere auctoritatum ita nos premi putat illuſtris Adverſarius, ut concedamus, Patres eadem illa quam ſibi ſumſerunt Apoſtoli, uſos in citandis Scripturis libertate.

Nec unus tamen eſt, aut primus hicce Scriptor, qui tale excogitaverit argumentum. Auctor primæ Partis *de optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo*, ex Gallico Latinum in Sermonem translata, nonnulliſque illuſtrata adnotationibus Auguſtæ Taurinorum, MDCCXLII. eandem, uti video, ex *ſuppoſitione illa* eruit conſequutionem: Capite ſiquidem oſtenſurus Decimo, etiamſi Patres Eccleſiæ nonnulla ex Scripturis Sanctis loca falſo protulerint, in aliis etiam incurioſe ſe geſſerint, ſartam tamen eſſe & integram illorum

in

in rebus fidei auctoritatem, hæc habet: *Quam levis momenti ſit accuſatio in Eccleſiæ Patres conflata de falſa ſacri Textus prolatione, ejuſque verborum mutatione, vel una invicte perſuadet veterum Scriptorum conſuetudo, quibus familiare fuit, ac receptiſſimum loca ex antiquioribus Auctoribus, ut eis in mentem venit, proferre, nulla verborum, ſed ſola ſenſus habita ratione. Eccur enim id non præſtiterint Patres, quod in proferendis Scripturis facere conſueverunt Apoſtoli ac Evangeliſtæ? Ut enim ait Hieronymus in Iſaiæ Caput VII. in multis teſtimoniis, quæ Evangeliſtæ vel Apoſtoli de Libris veteribus aſſumſerunt, curioſius attendendum eſt, non eos verborum ordinem ſecutos eſſe, ſed ſenſum. Scripturas aliquando Patres amplificant Paraphraſi, quandoque contrahunt; ut plurimum vero non iiſdem referunt, ſed ſimilibus verbis, quibus tamen illarum ſenſus pateſiat, ac magnopere illuſtretur.*

Quibus antequam reſpondeam, extra rem haud eſſe arbitror, de cauſſa ſuſpicari, ob quam poſtremus hicce Scriptor in ea verſatus fuerit ſententia. Ex adnotatione Interpretis ſtatim eam dignoſcemus, qui laudatis verbis iſta ſubjicit: *Ejuſmodi veterum Scriptorum conſuetudinem ſecutus fuiſſe videtur Auctor hujus Operis, qui ex antiquis monumentis ſæpiſſime loca profert, ut in mentem ipſi venit, nulla verborum, ſed ſola ſenſus habita ratione. Quamobrem veniam dabit Lector, ſi multa offendet Veterum loca aliis ab autographo Exemplari verbis expreſſa.* Nempe, propriam citandi rationem ac libertatem, quam ipſe uſurpavit, Patribus affixit ac aſſeruit. Videtur namque hoc peculiare Scriptorum quorumdam vitium, ut vel arbitrario, temere ac memoriter tantum citent, vel quo paucioribus ſe expediant, aut raro citent quidpiam, aut nihil tandem.

Ad cauſſam accedamus igitur, ob quam SS. Patres, tumul-

tumultuario citantes, excuſari poſſe volunt; videlicet, quod, Hieronymi ſententia, ita olim etiam citaverint Scriptores Sacri. Porro hoſce juxta LXXviralem Verſionem veteris loca Teſtamenti ſumma ſemper fide recitaſſe, Sanctorum Patrum non modo, præſertim Irenæi Lib.III. Cap.25., ſed etiam doctiſſimorum teſtimonio Virorum eſſet pervium oſtendere Dupinius in Diſſertatione Præliminari ad Biblia Lib.I.Cap.4. exemplis evincit confirmatque, Evangeliſtas juxta LXX. perpetuo citaſſe, ubi iidem Hebraico cum textu minus etiam conveniunt; Matthæum tamen ſi excipias, qui, quod Evangelium hebraico ſcripſerit ſermone, Hebraicam juxta Veritatem teſtimonia retulit, quæ Interpres iterum LXXviralem ad Interpretationem exegit. Cl. Millius ad calcem Epiſtolæ ad Hebræos contendit ſcriptam eam fuiſſe Græco, non Hebraico ſermone, nempe quod veteris loca Teſtamenti citata in ea ſint, imo debuerint eſſe prorſus juxta LXXviralem Verſionem. Inquit
„ enim: Epiſtolam hanc Græce, non Hebraice ab Au-
„ ctore conſcriptam, oſtendunt plurima. Stylus elo-
„ quentiam Græcanicam ubique redolens. Hebraiſmi
„ in illa, quam in reliquis Paulinis, rariores; quibus
„ certe ſcateat neceſſe eſt, quæ de Hebræo redditur.
„ Scripturæ Veteris Teſtamenti non ſecundum Hebrai-
„ cam veritatem, quam vocant, ſed LXX. Interpre-
„ tum Verſionem perpetuo citatæ; & quidem iis in lo-
„ cis, in quibus ſi reponerentur Hebræa, non modo peri-
„ ret vis argumentationis Apoſtolicæ, ſed ne ullus qui-
„ dem foret argumentationi locus. Hujuſmodi ſunt iſta
„ ex Pſalmis: *Ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα*,
„ Cap. 1. *Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ᾽ ἀγγέλους.*
„ Cap.2. *Θυσίαν κ᾽, προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ*
„ *κατηρτίσω μοι*, Cap. 10. Pro quibus ſi reponas ea quæ
„ ſunt in Hebræo; ratiocinationis Paulinæ robur

ac

„ ac nervos omnes plane incideris. Quod autem ex vo-
„ ce διαθήκη, qua in locis ex *Jerem.* & *Exod.* ab illoci-
„ tatis utuntur LXX. Interpretes, probet Apoſtolus
„ mortem Teſtatoris intercedere debuiſſe, quod ali-
„ ter ratum non ſit Teſtamentum; certe in Hebraicis
„ apud *Jerem.* & *Exod.* nullus omnino datur probatio-
„ ni iſti locus. ברית enim non ſignificat *Teſtamentum*,
„ ſed tantum in genere *fœdus*, ſeu *pactum*. Hæc il-
le, cujus hacce in re judicium probat Joannes Clericus, enarrans Matthæi caput alterum, in Additamentis ſuis ad Hammondum. Hanc tamen impræſentiarum mittimus hypotheſim, uti & oppoſitas opiniones Salmaſii, Uſſerii, Capelli, Waltoni, Petitdidierii; & ad ea confugiendum remur, quæ prioris Partis altero in Capite, ex Editore Bibliorum Pariſienſium ſtatuimus. Si enim ab Origenis ætate ad uſque noſtram dignoſci vix potuit, quænam germana ſit ac vera LXX. Interpretum Verſio, vel unde ad nos pervenerint Græci qui hodie exſtant Contextus, Aldinus videlicet, Complutenſis, Baſileenſis, & pluribus ex MSS. derivatus, Romanus, qui inter ſeſe differunt; fieri qui poteſt, ut judicare valeamus, num Apoſtoli ac Evangeliſtæ ipſa recitaverint germanæ LXX. Editionis verba, an libere potius, & aliqua facta mutatione? Ubi nunc vera, vetuſque illorum Interpretum Editio? ubi illa, qua Synagogæ, Chriſti ac Apoſtolorum ætate, utebantur? Num talem cenſebis a Caraſſa editam, aut a Ximenio? num a Grabio editam, aut ab Aſulano? Neutram reor. Ad hæc, ſi, uti Pariſienſis laudatus Editor ſubdubitare viſus eſt, Novum Teſtamentum, in Græcum Idioma verti curavit olim Eccleſia, veteri ut LXX. Interpretum Teſtamento ſuperadditum, unius ſub linguæ harmonia atque ſono, integra Biblia exhiberet; ſi ſaltem, ut profecto certum,

non

non ſint hodierni Codices Novi Teſtamenti cum primævis Archetypiſve confundendi: qua, obſecro, ratione de citationibus hodiernis Apoſtolorum ſtatuemus, eaſque cum Bibliorum Editionibus, quæ frequentiſſimo in uſu Synagogarum & Scriptorum Sacrorum erant, examuſſim non convenire definiemus?

Fuit quidem Adverſariorum in opinione qui eiſdem prælufit tot teſtimoniis Hieronymus. Verum erat ille quoque, ſiqua ipſimet fides, eadem noſtris cum Criticis in navi. Quid enim ſcribit in Præfatione ad Librum Paralipomenon? Hæc quæ ſubjicio: *Si Septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, Editio permaneret, ſuperflue me, Chromati, Epiſcoporum ſanctiſſime atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa tibi Volumina Latino ſermone transferrem. Nunc vero cum pro varietate Regionum diverſa ferantur Exemplaria, & germana illa antiquaque Translatio corrupta ſit, atque violata &c..... hocque in Eccleſiis legitur, quod Septuaginta neſcierunt.* Ad Domnionem vero & Rogatianum eodem de Libro ſcribens, ſive de illis, quæ tunc circumferebantur, LXXviralibus Editionibus, hæc habet: *Libere vobis loquor; ita in Græcis & Latinis Codicibus hic Nominum Liber vitioſus eſt, ut non tam Hebræa, quam Barbara quædam & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum ſit. Nec hoc Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu Sancto pleni, ea quæ vera fuerunt tranſtulerant, ſed Scriptorum culpæ adſcribendum, dum de emendatis inemendata ſcriptitant: & ſæpe tria nomina, ſubtractis a medio ſyllabis, in unum vocabulum cogunt; vel e regione unum nomen, propter latitudinem ſuam, in duo, vel in tria vocabula dividunt &c.* Multa ejuſdem Hieronymi hanc in ſententiam ſcripta pronunciataque omittimus. Hæc vero, ut eum ſtrenue ab antilogia vindicant, quam ipſi affingunt

gunt recentiores Hoſtes ejus, laudatos una nempe, ſpretoſque LXX. ita Sanctum Patrem eo in ſtatu fuiſſe conſtitutum oſtendunt, ut nullo potuerit jure de citationibus Apoſtolorum ac Evangeliſtarum judicare. Quî enim noſſe potuerit ille, Evangeliſtas ac Apoſtolos non verbum interpretatos eſſe de verbo, nec LXX. Interpretum auctoritatem ſequutos; ſed quaſi Hebræos & inſtructos in Lege, abſque damno ſenſuum, ſuis uſos eſſe ſermonibus: quî iſta, inquam, noſſe potuerit Hieronymus, cujus ætate adeo deformata erant LXX. Exemplaria, ut pene alius Liber viderentur; adeoque veram ſe Lectionem Græcis e Codicibus ſui temporis exſpiſcari poſſe deſperans prorſus, ad Hebraicos neceſſe duxerit confugiendum?

Utitur hoc ratiocinio Joannes Clericus, qui Tomo Bibliothecæ Antiquæ & Hodiernæ XXII. pag. 271. ita ſcribit: *Comme M. Burton cite S. Jerome, pour prouver, que les premiers Exemplaires des LXX. Interpretes contenoient une Verſion, qui étoit plus correcte & plus exacte, que ce Pere appelle la vraye Verſion des LXX. & de la quelle il dit, que ſi elle ſubſiſtoit encore, Chromatius le preſſeroit en vain de traduire en Latin les Volumes Hebreux; on lui repond, que S. Jerome ne parloit ainſi, que pour diminuer la haine, que ſa Verſion lui attiroit de la part de ceux, qui ſoutenoient celle des LXX. qu'on avoit alors. Comment pouvoit-il croire, que les premiers Exemplaires des LXX. contenoient une meilleure Verſion, que celle qu'on avoit de ſon tems, puis qu'il n'avoit jamais vû aucun de ces anciens Exemplaires?* Quin & de Præfatione agens Davidis Millii ad Vetus Teſtamentum, ex Verſione LXX. ab ipſo editum, Tomo ejuſdem Bibliothecæ XXIV. pag. 397. quædam ſcribit idem Clericus, unde dignoſcamus, Hieronymum integram Autographi LXX. veteriſque Editionis cognitio-

gnitionem haud habere potuiſſe. *Tout cela*, inquit, *eſt en effet plein de difficultez inſurmontables, a cauſe des differentes corrections qui ont etè faites, dans les reviſions de Lucien & d'Heſychius.* Quæ quidem obſtacula Hieronymi ætate eadem erant. Eandem quam Clericus animadverſionem fecit etiam Simonius in Hiſtoria Critica Textus Novi Teſtamenti Cap. 20. qui etiam teſtimonia omnia ab Evangeliſtis & Apoſtolis recitata in examen revocat, & ab hypotheſi Hieronymiana vindicat ſagaciſſime; quamvis ipſe tamen melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam ut latraturis objiceret, ita demum loquitur, ut quid ſibi velit, non facile conſequaris. Quod interim me in admirationem rapit, contradictorium eſt Clerici Judicium, qui antecedente Tomo, nempe XXIII. ejuſdem Bibliothecæ, Adverſariorum opinionem de tumultuariis Patrum citationibus ex eorum argumento confirmaverat, ex arbitrariis videlicet citationibus Apoſtolorum. En ejus verba pag. 62. *Les Anciens étoient bien eloignez de citer auſſi exactement les Auteurs, dont ils rapportent les paſſages, que nous ne faiſons aujourdhui; quoique l' uſage moderne ſoit meilleur á cet egard. Ils ſe contentent de citer quelques mots, ou d'exprimer le ſens, ſans ſe mettre en peine des mots. C' eſt ainſi que l' Ancien Teſtament eſt citè dans le Nouveau, comme le remarque bien notre Auteur* (M.Pearce). *A quoi l' on peut dire, que les Peres citent treſ-ſouvent le Nouveau de cette maniere; comme on l' a marqué dans la Bibliotheque Choiſie, en parlant des Varietez de Lecture du Nouveau Teſtament, tirées des Peres, Tome XVI. pag.* 322. Si, Clerico Judice, nullam habere poſſumus germanæ LXX. editionis, ſeu antehesychianorum, & antelucianorum Codicum cognitionem; cur inde, quave audacia decernit ſtatuendum, Evangeliſtarum citationes veris cum Le-

ctionibus LXX.minus conſonare? Sed de maximis præſtantis cetera Viri hac in re antilogiis, fuſius in loco. Interea evidens profecto, nullum eſſe pro tumultuariis apud SS. Patres citationibus ab citationibus arbitrariis Apoſtolorum derivatum argumentum. Quandoquidem ipſum illud, Scriptores Sacros Novi Teſtamenti temere ſententias ac teſtimonia Veteris citaſſe, aut falſum eſt, uti ipſe quidem arbitror; aut hujuſmodi ſaltem, quod nec veris ac germanis LXXviralibus Codicibus, nec Hieronymi auctoritate oſtendi valeat atque confirmari: Ipſi ſiquidem Stridonenſi, ſi credere eſt faſſo, apta defuere ac idonea ad evincendam diverſitatem illam monumenta.

CAPUT II.

Scripturarum admixtionem, quam Veterum Lectionibus objiciunt, uti additiones, ac omiſſiones, ipſis illorum temporum Codicibus, in quibus admixtiones Scripturarum illæ, additiones, ac interpolationes erant, eſſe tribuendas.

FOrtiſſimum pro Lectionibus Sacris Patrum memoriter pronunciatis ſe ſibi ſumere, ac in medium producere putat argumentum Cl. Barzanus ex admixtionibus quibuſdam teſtimoniorum Scripturæ Sacræ, quæ Patres recitarunt; quod ita effert, num. Diſſertationis ſuæ XXII. Quis ſcit, an Lectionem, *Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex volun-*

voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt, " partim ex Jo-
„ annis Evangelii I. 13. partim aliunde Tertullianus
„ efformaverit? Nam, ut animadvertit Lacerda, ad
„ initium Cap. 27. de Reſurrectione Carnis, *miſcet Scripturæ diverſa nonnumquam loca, vel potius alludit ad diverſa loca, ex quorum verbis compingit tertiam ſententiam, explicans verba unius loci per alterius ver-*
„ *ba*; " ut revera affert ibidem ex Apocalypſi: *Hi ſunt, qui veſtimenta ſua non coinquinaverunt cum mu-*
" *lieribus*: "quæ ex mixtione verſus 4. Capitis III. *Qui non inquinaverunt veſtimenta ſua*, & verſus 4. Capitis XIV. *hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*,
„ profecta dignoſcuntur. Quid ergo vetat (ſubdit Bar-
„ zanus) quominus dicantur verba, *Non ex ſanguine, neque ex carnis & viri voluntate*, " ex Joannis I. 13.
„ ducta eſſe, ſequentia vero, *ex Deo natus eſt*, ex ejuſdem Apoſtoli v. 1. Epiſtola I *Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*, " in tertiamque ſen-
„ tentiam utraque coaluiſſe? Addi poteſt, ex III. 6. e-
„ juſdem Evangelii, ubi legitur, *Quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt &c.* poſteriora, *ex Deo natus eſt*, fortaſſe eſſe deducta. " Hanc conjectationem confirmare ſatagit illuſtris Adverſarius ſumtis ex Priorio & Maſſueto exemplis; qui Irenæum, ceteroſque Patres, ſimilibus ſcripturarum admixtionibus laborare contendunt; quibuſcum denique concludit, vix quidquam ſtatui poſſe de iis quibus uſi ſunt Patres Exemplaribus; adeo ut ex iis quæ male ac interpolate allegant ſcripturarum locis conſequi nulla ratione poſſit, ſic vel ſic omnino habuiſſe ſacros temporum illorum Codices atque Verſiones.

Nos vero ex oppoſito principium Adverſariorum haud minus, quam conſequutionem inde ductam falſitate laborare pro viribus tuemur; objectam illam nem-

pe ſcripturarum admixtionem, uti additiones quaſdam atque omiſſiones, quæ in Veterum citationibus reperiuntur, ipſis illorum temporum Verſionibus, ſive magis Exemplaribus, in quibus ſcripturarum admixtiones, additiones ac interpolationes erant, aſſerendas propugnamus. Omitto Codices Pentateuchi Samaritani, in quibus reperiri commatum tranſpoſitiones ab uno Scripturæ Libro in alium, & ab uno Capite in aliud, oſtendit Uſſerius in Epiſtola ad Lud. Capellum, vel concedente Anteſignano ejus Morino. Loquamur de Exemplaribus apud Patres magis uſitatis. Teſtem advoco Hieronymum, qui, non abſque teſtimonio, abſque monumentis (uti quum de citationibus loquitur Apoſtolorum) ſed ipſis ætatis ſuæ Exemplaribus, ipſaque ſuorum qualitate Codicum, ea nos de veritate facit certiores. Et de Libris quidem Veteris Teſtamenti agens ad Deſiderium in Præfatione Pentateuchi, de Origenis Editione ſcribit: *Quod ut auderem, Origenis me ſtudium provocavit, qui Editioni antiquæ Tranſlationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco & obelo opus omne diſtinguens: dum eluceſcere facit quæ minus antea fuerant, aut ſuperflua quæque jugulat ac confodit, maxime quæ Evangeliſtarum ac Apoſtolorum auctoritas promulgavit: in quibus multa de Veteri Teſtamento legimus, quæ in noſtris Codicibus non habentur: ut eſt illud: Ex Ægypto vocavi filium meum: &, Quoniam Nazaræus vocabitur: &, Videbunt in quem transfixerunt: &, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: &, Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: & multa alia, quæ proprium σύνταγμα deſiderant.* Præfatione vero in Joſue hæc habet Stridonenſis Pater: *Quod ſi eis* (Hoſtibus nempe ſuis, LXXviralem, ceteraſque Græcas

cas ſui temporis Editiones propugnantibus) *vetus tantum Interpretatio placet, quæ & mihi non diſplicet; & nihil extra recipiendum putant: cur ea, quæ ſub aſteriſcis & obelis vel addita, vel amputata, legunt, & negligunt? Quare Danielem juxta Theodotionis tranſlationem Eccleſiæ ſuſceperunt? Cur Origenem mirantur, & Euſebium Pamphili, cunctas Editiones ſimiliter diſſerentes? Aut quæ fuit ſtultitia, poſtquam vera dixerint, proferre quæ falſa ſunt? Unde autem in Novo Teſtamento probare poterunt aſſumta teſtimonia, quæ in Libris veteribus non habentur?* ſcilicet in mutilatis interpolatiſque ætate ſua Græcis ac Latinis Teſtamenti Veteris Codicibus. Quare & ad illud referuntur quæ in Præfatione ſcribit Lib. Paralipomenon: *Certe Apoſtoli & Evangeliſtæ Septuaginta Interpretes noverant: & unde eis hæc, quæ in Septuaginta Interpretibus non habentur?* nempe, quæ in Codicibus LXX. Interpretum ſui temporis non habebantur; approbante ſemper Hieronymo (ut videtur) LXXviralem fontem, quod veriſimile foret fuiſſe illum integrum; reprobante vero Exemplaria eorundem, in quibus additiones, omiſſiones, aut admixtiones plurimæ reperiebantur. Eadem in Præfatione Libri Paralipomenon de ſua ejuſdem Interpretatione agens, ita ad Domnionem & Rogatianum ſcribit: *Ubicumque ergo Aſteriſcos, ideſt Stellas, radiare in hoc Volumine videritis; ibi ſciatis, de Hebræo additum, quod in Latinis Codicibus non habetur. Ubi vero obelus, tranſverſa ſcilicet virgula, præpoſita eſt; illic ſignatur, quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti auctoritatem; licet in Hebræis Voluminibus non legatur.* Poſteriora verba, uti diximus, vident omnes prudenti Œconomiæ tribuenda, ne propugnatores Græcarum Editionum magis irritaret; quum ipſi tum ſatis eſſe videretur, Græcorum

Codicum a fonte diſſonantiam oſtendere, ſeque ex ea vindicare. In Præfatione ad Jeremiam iterum de Verſione ſua illius Libri loquens, *Præterea*, inquit, *ordinem Viſionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confuſus eſt, ad priſtinam fidem correximus*; uti Præfatione in Judith dixerat: *Multorum Codicum varietatem vitioſiſſimam amputavi*. Præfatione in Eſther: *Librum Eſther variis Translatoribus conſtat eſſe vitiatum*. Præfatione in Job: *Beatum Job, qui adhuc apud Latinos jacebat in ſtercore, & vermibus ſcatebat errorum, integrum immaculatumque gaudete. Quomodo enim poſt probationem atque victoriam duplicia ſunt ei univerſa reddita; ita ego in lingua noſtra, ut audacter loquar, feci eum habere quæ amiſerat. Igitur & vos, & unumquemque Lectorem ſolita Præfatione commoneo, & in principiis Librorum eadem ſemper annectens, rogo, ut ubicumque præcedentes virgulas videritis, ſciatis, ea quæ ſubjecta ſunt, in Hebraicis Voluminibus non haberi. Porro ubi ſtellæ imago præfulſerit, ex Hebraico in Sermone noſtro addita ſunt. Nec non & illa quæ haberi videbantur, & ita corrupta erant, ut ſenſum legentibus tollerent, orantibus vobis, magno labore correxi*. Pſalterium magna ex parte emendaſſe ſe, atque Salomonis Libros expurgaſſe, reformaſſeque, in eorundem Librorum Præfatione teſtatur etiam Hieronymus: quod manifeſte indicat, multa interpolata, multaque adjecta fuiſſe, omiſſa plurima, nonnulla denique invicem male mixta. Et, ut prætercam demum cetera ejuſdem teſtimonia, Præfatione in Eſdram & Nehemiam, non habendam inquit LXX. Interpretum eſſe rationem, *quorum Exemplaria varietas ipſa, lacerata & inverſa demonſtrat*. Haud negandum igitur, SS. Patres textubus adhæſiſſe ſuorum Codicum Veteris Teſtamenti, quod ſenten-

ſententias aliquando adferant aut mancas, aut etiam redundantes, & valde ab emendatis Codicibus diverſas; quum antehieronymiani Codices revera illis ſcaterent mendis, periodos haberent diverſis ex membris & commatibus compactas ac interpolatas.

Haud ignoro quidem, Origenianis in Codicibus, uti & in Hieronymianis, aſteriſcos fuiſſe, obelos, ſigna cetera, quæ redundantia, manca, aut addita oſtenderent. Verum, ut corruptiſſimos Scribarum oſcitantia, temporum injuria, aliiſque de cauſſis, non ignoramus fuiſſe ejuſmodi Codices, ita incertum ſatis, an ad ea diſtinguenda, neceſſaria uſi fuerint Veteres diligentia. Quantam crucem Montfauconio adtulerint confuſa illa in Exemplaribus & male deſcripta ſigna, fatetur Vir incomparabilis in fragmentorum Origeniani laboris Editione.

Quæ hactenus expoſita ſunt, corruptionem dumtaxat arguunt Codicum Teſtamenti Veteris; ex Origenis tamen teſtimonio non minorem Evangelicis in Exemplaribus corruptionem dignoſcimus; in quo & tales proſtant Canones, ut ex Hieronymo jam ſtatuta confirmentur vehementer. Enarrans nempe Adamantius Commentario in Evangelium Joannis, quæ trans Jordanem fecerat Redemtor, ita ſcribit: Οὐ καταφρονητέον τῆς περὶ τὰ ὀνόματα ἀκριβείας τῷ ἀπαραλείπτως βουλομένῳ συνιέναι τὰ ἅγια γράμματα τὸ μέντοιγε ἡμαρτῆσθαι ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀντιγράφοις τὰ περὶ τῶν ὀνομάτων πολλαχοῦ, καὶ, ἀπὸ τούτων ἄν τις πεισθείη Ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις ἡ περὶ τοὺς ὑπὸ τῶν δαιμονίων κατακρημνιζομένους καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ συμπνιγομένους χοίρους οἰκονομία ἀναγέγραπται γεγονέναι ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Γερασηνῶν. Γέρασα δὲ τῆς Ἀραβίας ἐστὶ πόλις. οὔτε θάλασσαν, οὔτε λίμνην πλησίον ἔχουσα. Καὶ, οὐκ ἂν οὕτως προφανὲς ψεῦδος καὶ εὐέλεγκτον

λεγκτον οἱ εὐαγγελισαὶ εἰρήκεισαν ἄνδρες ἐπιμελῶς γινώσκοντες τὰ περὶ τὴν Ἰουδαίαν. Ἐπεὶ δὲ ἐν ὀλίγοις εὕρομεν, εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν. καὶ, πρὸς τοῦτο λεκτέον. Γάδαρα γὰρ πολις μὲν ἐςι τῆς Ἰουδαίας περὶ ἣν τὰ διαβόητα θερμὰ τυγχάνει, λίμνη δὲ κρημνοῖς παρακειμενὴ οὐδαμῶς ἐςιν ἐν αὐτῇ, ἢ θάλασσα. Ἀλλὰ Γέργεσα, ἀφ᾽ ἧς οἱ Γεργεσαῖοι, πόλις ἀρχαία περὶ τὴν νῦν καλουμένην Τιβεριάδα λίμνην, περὶ ἣν κρημνὸς παρακείμενος τῇ λίμνῃ, ἀφ᾽ οὗ δείκνυται τοὺς χοίρους ὑπὸ τῶν δαιμόνων καταβεβλῆσθαι. *Non ſperanda eſt diligentia circa nomina probe intelligere cupienti Sacras Litteras. Siquidem peccatum eſſe in Græcis Exemplaribus circa nomina frequenter, vel ſequentia fidem faciant. In Evangeliis diſpenſatio circa porcos e rupe præcipitatos, & in mari ſuffocatos a Dæmoniis, ſcriptum eſt fuiſſe in loco Geraſenorum. Geraſa autem Urbs eſt Arabiæ, neque mare, neque ſtagnum in propinquo habens. Nec mendacium adeo apertum, quodque facile redargui poſſet, dixiſſent Evangeliſtæ, Viri Judææ regionem probe dignoſcentes. Quoniam vero in paucis Exemplaribus invenimus, in locum Gadarenorum; ad hoc etiam dicendum eſt, Gadaram quidem Civitatem eſſe Judææ, circa quam celeberrima balnea ſunt, haud quaquam vero in ea eſſe ſtagnum, vel mare præcipitiis adjacens. At Gergeſa, a qua Gergeſæi, urbs eſt antiqua juxta ſtagnum, quod nunc Tiberiadis vocamus, juxta quam rupes eſt ſtagno adjacens, e qua oſtenditur porcos a Dæmonibus in præceps delatos fuiſſe.*

Ad hæc, quot mutationes, imo additiones, ac omiſſiones erant ex antiquorum Interpretum licentia! Vel ii, qui Codices emendare modo ſe dicebant, quot quantaque addidere de ſuo, quanta detraxere! Exemplum in Clario habemus, ex cenſura Melchioris Cani, hæc Iſidoriana de Interpretatione Libro De Locis Theo-

Theologicis altero Cap. 13. ſcribentis : *Pollicetur Iſidorus Clarius in Operis fronte veterem Editionem correctam. Poſtea vero quam pollicitatione hac depellit invidiam novitatis, multa inſerit, adjicit quædam, nonnulla mutat; ut Lector non aliud poſſit in locis mutatis intelligere, quam aut veteris Interpretis errorem, aut veterum Codicum depravationem. Quam bellum erat potius novam Editionem confiteri, quam veterem emendatam, ne Lectores ſimplices verbis ambiguis deciperentur?* Si hæc vero noſtræ Œconomiæ tempore, noſtris prope temporibus, &, quod certe mirum, hiſce in Regionibus acciderunt; quot, obſecro, mutationes, additiones, detractiones fuiſſe exiſtimandæ ſunt in Interpretationibus Veterum, ampliori licentia pro libertate hominum Eccleſiæque moribus, excurrentium!

Optime Millius in elaboratiſſimis Prolegomenis ad Novum quod edidit Teſtamentum, ſcripſit. " Inter Codices Eccleſiarum & privatorum hominum, hoc fere interfuit; quod iſti, prout e Librariorum manibus exierant, emaculati, notuliſque marginalibus liberi, fere integri in Eccleſiarum tabulariis remanſerint; hi vero ab ipſis, in quorum gratiam fuerant conſcripti, ſtatim fere inter lineas, aut ad marginem, gloſſis Scholiiſque fuerint conſperſi; maximeque in id incumbentibus S. Litterarum ſtudioſis, ut Textum Sacrum quem apud ſe habebant, explicatiorem, fuiſque uſibus magis in dies ac magis idoneum redderent. Hinc apud Clementem Alexandrinum, qui ſub finem Sæculi ſecundi floruit, Libro Stromat. IV. mentio fit τῶν τὰ εὐαγγέλια μετατιθέντων, ſeu *Scholiaſtarum*, qui jam ab initio Libris iſtis ad oram, aut ſpatio interlineari, explicatiunculas ſuas intulerant. Harum unam ille & alteram adducit. Adnotationes autem

" iſtiuſ-

„ iſtiuſmodi, utcumque e Textu ipſo diſtinctas, [de eo „ enim ab ipſarum Auctoribus primiſque Tranſcripto- „ ribus cautum haud dubito] relatas tamen, uti fere fa- „ ctum, ad locum quem explicatum dabant, ſtellula, a- „ liave hujuſmodi notula, ne quidem aliter fieri potuit, „ quin Exſcriptores ignari, ſive etiam περίεργοι, trans- „ ferrent hic illic, uti ferebat animus, in corpus Con- „ textus; appoſito nonnumquam Scholio veræ Lectioni, „ nonnumquam in veræ locum ſubrogato". Hæc ille num. 287. Prolegom. qui & intruſarum hujuſmodi Lectionum, quæ tandem citationes evaſere Patrum, exempla ſtatim addit apertiſſima. Millies idem repetit, & num. præſertim Prolegomenon 640. ubi de Clemente agens Alexandrino, quem in adducendis Sacræ Scripturæ locis, *crebrum*, *caſtumque* dixerat, & ea *ad fidem Codicis recitantem*, *qui tum ipſi ad manum*; quod & pluribus oſtendit: ita denique proſequitur. *Sed licet ex dictis Exemplar Clementis ex iis fuiſſe appareat, quæ fideliter fere repræſentabant dictionem Apoſtolicam; conſtat tamen, illud hinc inde nonnihil paſſum fuiſſe, ex inſertis notulis marginalibus. Nimirum ab initio fere Canonis Novi Teſtamenti Scholiaſtæ quidam μετατιθέντας τὰ εὐαγγέλια, quos vocat Clemens noſter Strom. IV. ad oras Codicum, explicatorias ſtricturas appoſuerant. Ex his autem, textu ad quem ſpectabant clarioribus ſcilicet, ſcribæ pro arbitrio alias atque alias intromiſerunt in corpus Libri, etiam genuinæ Lectionis loco, modo obſcura ea eſſet, aut (quod nonnumquam) in ſpeciem abſurda. Admiſſæ vero, in plurima mox Apographa tranſierunt: auctoque poſt a Lectoribus gloſſarum marginalium, adeoque & Lectionum interpolatarum numero, factum, ut poſteriores Libri fuerint fere prioribus hac in parte maculatiores. Hujuſmodi Scholia aliqua irrepſe-*

rant

Digitized by Google

rant in Clementis Codicem ; quæ inde longa proſequitur Oratione. Maculatis ejuſmodi ab Exemplaribus ortas ait Epiphanianas plurimas interpolatas citationes, num. Prolegomenon 790. nec illa de re dubitare eos poſſe exiſtimat, quibus cum Textus Sacri MSS. Exemplaribus res eſt, noſcentibus videlicet, illius maxime ætatis, ſequentiumque adeo omnium Sacros Codices, Scholiis, inſititiiſque vocabulis, aut Studioſorum mala diligentia, aut ex incuria, inſcitia, περιεργία Librariorum denique, refertos. Quin etiam, quid aliud ſunt, obſecro, univerſa illa Millii Prolegomena, niſi Theſis noſtræ exempla pene infinita, ac Diſceptationis monumenta? In iis quippe innumeras ab hodiernis diverſas in Patrum Operibus Scripturæ citationes collegit, contulitque cum Codicibus, & numquam *ſolitarias*, ita ut dicam, ſeu in uno Patrum, aut uno in loco reperiri comprobavit, ſed iterum, ex oppoſito, cum eodem in Scriptore, tum in longe diſſitis exaratas. Heinc ex eiſdem Hiſtoriam exornavit Editionum; quare num. 852 ſcripſit: *Atque hactenus de Verſionis Italicæ, qualis in ſcriptis Latinorum exſtabat, interpolatis Lectionibus: quas quidem in majorem paulo cumulum congeſſimus, ut eo luculentius appareat, qualis apud eos fuerit Interpretis Vulgati textus ante caſtigationem Hieronymi*. Quî reapſe fieri poterat, ut locis æque ac temporibus longe diſſiti Patres ac Eccleſiaſtici Scriptores, eadem Scripturæ commata memoriter ac ad ſenſum allegantes, eodem tamen modo, eademque ratione, eadem metatheſi ac paraphraſi verba Sacri Codicis referrent? Quis concipiat, arbitrariam & ad ſenſum, apud Cyprianum puta, eſſe aliquam Lectionem, additionibus nempe, omiſſionibuſve laborantem; quum eadem iiſdem relata terminis, iiſdem appareat cum additionibus vel omiſſionibus apud Tertullia-

num,

num, Ambroſium, Auguſtinum, alios Patres, Verſiones ac Codices adhuc reliquos? quod, uti dicebam, Millianus labor, uberrime oſtendit; quem profecto ſi quis adhuc de citationibus Patrum judicare pergens nondum viderit, haud mirum quidem, ſi citationes ejuſmodi credat tumultuarias. Nam quæ nobis incomperta ſunt, aut in ſuſpicionem vocamus, aut omnino rejicimus.

Sed jam ad præcipuum accedamus quod occurrit in objecto, nempe ad ſententias Novi Teſtamenti, quas Patrum quidem nonnulli attulerunt diverſisEvangeliis contextas; adeo ut ejuſdem ſententiæ comma unum ex Marco ſumtum eſſe videatur, alterum ex Luca, aut Joanne. Hanc porro Scripturarum admixtionem in Veterum citationibus comparere aliquando minime inficiamur; verum abeſt adeo, ut tunc arbitrario ac temere eos tunc Scripturas allegaſſe arbitremur, ut inde potius eoſdem de textubus ſollicitos fuiſſe, videatur eſſe cogitandum. Erant ſiquidem in Codicibus Evangelicis illorum temporum ejuſmodi admixtiones; cujus rei notiſſimam facitStridonenſis fidem in Præfatione ad Evangelia his verbis: *Magnus in Codicibus noſtris error inolevit; dum quod in eadem re alius Evangeliſta plus dixit, in alio quia minus putaverint, addiderunt; vel dum eundem ſenſum alius aliter expreſſit, ille qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque exiſtimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta ſint omnia, & in Marco plura Lucæ atque Matthæi, rurſum in Matthæo plura Joannis & Marci, & in ceteris reliquorum, quæ aliis propria ſunt, inveniantur.* Explicat hæc ſuo in Opere Simonius, in Hiſtoria videlicet Textus Novi Teſtamenti Cap. XXX. ubi ait: *S. Jerome remarque, parlant des Exemplaires de ce temps-là, que les Copiſtes les avoient alterés d'une etrange maniere*

niere, par le mélange qu'ils avoient fait de pluſieurs Evangiles enſemble, prenants de l'un ce qui ſembloit manquer a l'autre. S'il arrivoit meme qu'un Evangile eût exprimé quelque choſe differement de l'autre, les Copiſtes reformoient les autres ſur celuy qu'ils avoient lû le premier; en ſorte qu'il n'y avoit que de la confuſion dans ces anciens Exemplaires. On voyoit dans S. Marc pluſieurs choſes qui étoient de S. Luc, & de S. Matthieu, & dans S. Matthieu ce qui appartenoit a S. Jean & a S. Marc. Enfin chaque Evangile avoit quelque choſe des autres. Il eſt vray que cette obſervation de S Jerome ſemble tomber ſeulement ſur les Exemplaires Latins: mais la ſuite de ce diſcours fera connoitre, qu'elle convient auſſi a pluſieurs Exemplaires Grecs de ce tempſ-là. Habes fontem atque Codices, unde ſententias, ex diverſis plurium Evangeliorum membris compactas, Patres derivarunt.

Adverſus vero ea omnia quæ nos docet ingenue Hieronymus, inſurgit neſcio quis Joannes Frickius, bonus certe homo, in Libro, ubi de cura agit Eccleſiæ veteris circa puritatem Codicum Novi Teſtamenti Cap. IV. §. 19. & ita, miſer, ſcribit: *Quod Latinos attinet Codices & aſperam de iis querelam, notandum, hyperbolas Hieronymo nimium fuiſſe familiares*: quod illi ſoli neſciunt, qui Scripta ejus ignorant: *ideoque neminem terrent verba ejus tot tragica peritiorem. Ad hæc, habuit forte cauſſam non unam Hieronymus, cur tantopere in Latinos ante ſe Codices inveheretur: Videlicet, partim ut ſui laboris pii ac eruditi pretium a neceſſitate & gravitate ſuſcepti, bono Eccleſiæ, operis adaugeret: partim, ut invidiam amoliretur, qua premi ſe noverat a multis doctis pariter & indoctis, ob inſolitum ævo illo novæ Editionis Biblicæ ſtudium; quippe quod carpebant, ut temerarium, fallax, periculoſum, ac pene ſacrile-*

gum

gum: id quod tum ex Epiſtola ad Damaſum, tum ex amoebæis cum Auguſtino, & paſſim aliis ex locis patet. Huic quidem teſtimonio jam ex parte ſatis fecimus; quodque ad hyperbolas Hieronymianas ſpectat, illuſtrabitur ſequente in Capite. Nunc relate ad ea, quæ mixtiones ſententiarum Evangelii, in antehieronymianis repertas Exemplaribus, reſpiciunt; verba Simonii referemus, quæ non tam doctrinam atque theſim, quam exempla adhuc reliqua pervia faciunt, Sanctum Patrem ab omni exaggerationis nota vindicantia.

Scribit igitur laudato libro ac capite Simonius: *Si nous n' avions encore aujourd' huy quelques-uns de ces anciens Livres, dont parle S. Jerome, on croiroit facilement qu' il en exaggereroit les defauts pour faire mieux voir la neceſſitè qu' il y avoit alors de reformer la Verſion Latine, qui ètoit conforme a quelques Exemplaires Grecs, qui n' etojent pas moins defectueux que les Latins. L' Exemplaire Grec & Latin de Beze, qui ſe conſerve preſentement a Cambrige, eſt de ce nombre, ayant etè ecrit par des Copiſtes Latins ſur des ſemblables Exemplaires qu' on liſoit avant la reformation de S. Jerome ..... Si Beze avoit fait toutes ces reflexions, & s' il avoit comparè avec ces Manuſcrits ce que S. Jerome a obſervè dans ſa Lettre au Pape Damaſe; il y auroit vû les raiſons de cette grande diverſitè qui eſt entre ces Exemplaires & les autres, d' où on a tiré ceux qui ont ètè imprimès dans ces derniers temps. Ce Pere a remarquè, que ces premiers avoient ètè alterès par le mélange de pluſieurs Evangiles enſemble, & qu' on avoit reformè un Evangile ſur un autre. On n' a qu' á appliquer cette obſervation á l'Exemplaire de Cambrige qui contient les Evangiles & les Actes des Apôtres, & l' on y reconnoitra ces memes defauts. On y trouvera, par exemple, dans S. Matthieu des additions priſes des autres Evangiles, & la Ge-*

Genealogie qui eſt dans S. Luc, reformée ſur celle qui eſt dans S. Matthieu. La critique qu'il a faite des Exemplaires de ſon temps dans cette Lettre, a un ſi grand rapport avec l'Exemplaire de Cambrige, qu'elle ſemble n'avoir été faite, que pour nous donner une connoiſſance exacte de cet Exemplaire .... Beze qui a ignorè l'origine de ce grand nombre de varietès de ſon ancien Exemplaire qui contenoit ſeul plus de diverſes Leçons que tous les autres Exemplaires Grecs joints enſemble, avoüe qu'il n'a rien reconnu dans toutes ces variations, d'où l'on pût ſoupſonner, qu'il eût été corrompu par les anciens Heretiques. Au contraire, dit il, j'y ai trouvè pluſieurs choſes dignes de remarque, & quelques endroits, oú il differoit d'une certaine maniere de la leçon ordinaire, qu'il convenoit en ces lieux-là avec les Peres, ſoit Grecs, ſoit Latins. " In hac tamen non ſententiarum, ſed vocum
" diverſitate, nihil profecto comperi, unde ſuſpicari
" potuerim a veteribus illis Hæreticis fuiſſe depravatum. Imo multa mihi videor deprehendiſſe obſervatione digna, quædam etiam ſic a recepta Scriptura
" diſcrepantia, ut tamen cum veterum quorundam &
" Græcorum & Latinorum Patrum ſcriptis conſentiant. (Beza Epiſt. ad Acad. Cantabr.) Vides, ut doctiſſimi Scriptores, nil de præcipua theſi noſtra cogitantes, eandem tamen confirment vehementer? Vides ut Exemplaria adhuc reliqua, in quibus ſententiæ, ex diverſorum Evangeliorum membris contextæ, cum citationibus veterum Græcorum ac Latinorum Patrum mirifice conveniant?

Proſequamur eodem cum Simonio. *Tatien Diſciple de Saint Juſtin Martyr n'avoit pas ſeulement compoſé un corps d'Evangile des quatre qu'il avoit mis en un, mais il avoit auſſi pris la libertè de corriger la diction de S. Paul pour lui donner des expreſſions plus propres*

pres & plus claires. Il y avoit des Egliſes Greques qui liſoient ſans aucun ſcrupule ces Exemplaires Grecs, qui avoient été ainſi retouchés; & qui peut-etre n'en reconnoiſſoient point d'autres. Il n'y a rien de plus ſurprenant, que ce que Theodoret rapporte de quelques Egliſes de ſon Dioceſe, qui liſoient publiquement le recueil des Evangiles que Tatien avoit abregés a ſa maniere. Comme elles ignoroient la malice de l'Auteur, elles s'en ſervoient, parce qu'il ètoit court. Ce ſçavant Eveque aſſûre qu'il trouva plus de 200. Exemplaires de cet Evangile de Tatien, qui ètoient fort eſtimés dans ces Egliſes, d'où il les ôta pour mettre en leur place les quatre Evangiles. On ne voit rien de ſemblable dans l'Exemplaire de Cambrige, qui a été alterè par des Orthodoxes ſelon la coutume de ces premiers temps-la, ou l'on prenoit la libertè d'inſerer dans un Evangile, par forme de ſupplement, ce qu'on croyoit y manquer; & on le prenoit d'un autre Evangile. C'eſt ainſi, par exemple, qu'aprés le mot πολλῶν Chap. 20. de Saint Matthieu v. 28. on a ajouté ces paroles. Ὑμεῖς δὲ ζητεῖτε ἐκ μικροῦ αὐξῆσαι, καὶ ἐκ μείζονος ἐλαττον εἶναι, εἰσερχόμενοι δὲ καὶ παρακληθέντες δειπνῆσαι, μὴ ἀνακλίνεσθαι εἰς τοὺς ἐξέχοντας τόπους, μήποτε ἐνδοξότερός σου ἐπέλθῃ, καὶ προσελθὼν ὁ δειπνοκλήτωρ εἴπῃ σοι, ἔτι κάτω χώρει, καὶ καταισχυνθήσῃ. Ἐὰν δὲ ἀναπέσῃς εἰς τὸν ἥττονα τόπον, καὶ ἐπέλθῃ σου ἥττων, ἐρεῖ σοι ὁ δειπνοκλήτωρ, σύναγε ἔτι ἄνω, καὶ ἔσται σοι τοῦτο χρήσιμον. *On lit ſelon le même ſens dans l'ancienne Verſion Latine qui eſt jointe a cet Exemplaire Grec*: " Vos autem quæritis de minimo creſcere, & de
„ magno minui. Introeuntes autem & rogati coena-
„ re, ne diſcubueritis in eminentibus locis, ne forte
„ dignior te ſuperveniat, & accedens cœnæ invitator
„ dicat tibi: Adhuc deorſum accede: & confundaris.
„ Si autem diſcubueris in minimum locum, & ſuper-
„ ve-

„ veniat minor te, dicet tibi invitator cœnæ: Collige „ adhuc ſuperius: & erit tibi hoc utile“. *Pluſieurs ſçavans Critiques ont remarquè cette addition après Beze. Je l' ai rapportée avec les memes fautes, quelle eſt dans le manuſcrit Grec, où elle eſt ecrite en lettres unciales ſans accents, & ſans aucune diſtinction de mots. S. Jerome a otè de l' ancienne Edition Latine cette addition, lorſqu' il la retoucha par l' ordre du Pape Damaſe. Il reconnoit facilement ſelon la methode qu' il s' ètoit proposée dans ſa correction, que ces paroles avoient ètè priſes de l' Evangile de S. Luc, Chap.* 14. *v.* 8. *&* 9. *ſi ce n'eſt, qu' il y a quelque difference dans les mots; ce qui eſt ordinaire a cet Exemplaire, où les mots ſont quelque fois changés en d'autres ſynonymes. Ce Pere qui conſulta d' anciens Exemplaires Grecs, principalement ceux, où les Canons d'Euſebe ètoient marqués, vit tout-d'un-coup en liſant le Canon X. que cela ne ſe trouvoit que dans la lection* 178. *de S. Luc, & qu' ainſi il le falloit retrancher de la lection* 204. *de S. Matthieu, où on l' avoit inſerè dans cet ancien Grec. C' eſt pourquoy il ajoûta à l'Edition Latine, qu' il avoit reformée ſur des bons Exemplaires Grecs, ces memes Canons d' Euſebe, afin d' oter ce mélange & cette confuſion, qui ètoit dans les Exemplaires Latins. On diſtingua par cette voye ce qui ètoit commun a pluſieurs Evangiles, & ce qui ètoit ſingulier a chacun.* “ Cum itaque, „ *dit S. Jerome Praef. in IV Evangelia,* Canones legeris „ qui ſubjecti ſunt; confuſionis errore ſublato, & ſimi- „ lia omnium ſcies, & ſingulis ſua quæque reſtitues.

Similes alias mixtiones additioneſque præteriit Simonius; quod aliquas in adnotationibus Bezæ, & apud Waltonum, jam notas editaſque non ignoraret; tum etiam quod earum recenſione in immenſum protraheretur Oratio. Eandem ob cauſſam & nos ab exſcri-

 bendo

bendo hoc Auctore ſuperſedemus, qui aliquibus exemplis explicatam confirmat veritatem. Unum addam, multiplicem Copiam ſimilium Codicum, qui circumferebantur olim, & ob antiquitatem, imperfectionemque, &, ut ita dicam, inutilitatem ſuam jam interierunt, idoneum nobis præbere argumentum, ut omnes illas quæ in Patrum reperiuntur Scriptis citationum admixtiones ad hanc regulam exigamus; etiamſi Codex non adſit, qui cum determinatis illis ab Adverſario relatis citationibus conſonet. Præſtitit id etiam accuratiſſimus laudatus Scriptor, qui ejuſdem Hiſtoriæ Criticæ Tom. I. Cap. 12. Tertullianum Libro adverſus Marcionem IV. contra hunc Hæreticum ex Evangelio, quod ipſe non admittebat, diſputaſſe animadvertens, ut illam agendi rationem non arguere Diſputatoris indiligentiam doceret, *Il ſe peut faire*, inquit, *que l' Exemplaire de Tertullien ne fut pas exact, & qu'on y eût mêlé enſemble des Leçons de pluſieurs Evangiles*. Denique illo de Codice Morinus loquens Exercit. Bibl. Lib. I. Exercit. II. Cap. 3. ſcribit: *Evangelium Lucæ in iſto antiquiſſimo Manuſcripto a vulgato Græco textu, atque etiam a Vulgata Latina Verſione adeo diſtat, tam multæ periodi vel truncatæ ſunt, vel ſuperadditæ, vel mutilatæ, vel aliis verbis enunciatæ ſunt, ut legenti non ſine cauſſa ſint admirationi..... Si tranſpoſitiones excipias, quæ ſenſum non lædunt; nullibi Septuaginta Interpretes a Maſorethico textu tam ſæpe & enormiter variant, quam hic Lucæ Codex a trito & vulgato textu ſive Græco, ſive Latino. Sequitur tamen κατὰ πόδα textus Lucæ ordinem & hiſtoriam: ita ut appareat ex alio Lucæ Manuſcripto hæc olim ſcripta fuiſſe, hancque varietatem lapſu temporis irrepſiſſe*. His omnibus vero de rebus quum dubitari vix poſſit; ſequitur certe, dictiones illas æquipollentes

lentes, ſynonyma etiam non ſolum verba, diverſaſque phraſes eundem ſenſum exhibentes, ſed & in unum commixtas diverſorum Evangeliorum partes, Apocryphorum nonnullas denique Lectiones cum Canonicis aliquando male mixtas, iccirco SS. Patres recitaſſe, quod eaſdem ſuis in Exemplaribus, aut in aliquo ſuorum Exemplarium ita conſociatas deprehenderint.

Hæc ſatis ſuperque dicta viderentur, niſi non parum iis tribuendum eſſet, qui callent fraudes artis, ideoque longe deductis criminationibus labefactare pergunt Bezæ teſtimonium, quo docemur nonnullas Cantabrigienſis Codicis Lectiones, a recepta Scriptura diſcrepantes, cum veterum & Latinorum & Græcorum Patrum citationibus conſentire. Quare magnum noſtrarum partium Criticum operæ pretium arbitror teſtem hic producere, qui exemplis, citationibus nempe SS. Patrum, quæ illis cum additionibus conſonant, totum hoc perficiat argumentum. Dupinius iſte eſt in Diſſertatione præliminari ad Biblia Lib. II. Cap. 2. ubi ſcribit: *Nous avons deja remarquè, qu'il y avoit dans l'Evangile Hebreu des Nazarèens une addition conſiderable à l'hiſtoire du Batême de J. C. rapportée dans le troiſieme Chapitre de l'Evangile de S. Matthieu: mais il faut encore obſerver ici, que les Exemplaires Grecs & Latins ont auſſi eu en cet endroit quelque varietè. Car autrefois au lieu de ces paroles*, " C'eſt ici mon Fils „ bienaimè, en qui j'ai mis ma complaiſance, *on liſoit dans quelques Exemplaires les paroles du Pſeaume 2.* „ Vous êtes mon Fils; je vous ai engendrè aujourdhui. *Cette varietè eſt tres-ancienne; puiſque Saint Juſtin liſoit ainſi, comme il paroît par cet endroit contre Tryphon.* „ Le Saint Eſprit, *dit-il*, deſcendant ſur J. C. „ ſous la forme d'une Colombe, on entendit une voix „ venüe du Ciel, qui eſt auſſi du Prophete David, diſant

„ comme en ſa perſonne, ce qui devoit etre dit un jour „ par le Pere celeſte: Vous êtes mon Fils; je vous ai en- „ gendrè aujourdhui". *Ce qui fait voir, que du temps de cet ancien Pere, on rapportoit ces paroles au Batême de J. C. Methodius a auſſi lû ainſi l' Hiſtoire du Batême de J. C. dans les Evangiles qu'il avoit.* Rien, *dit-il dans le diſcours huitieme de la Virginitè*, " ne s'accorde „ mieux avec ce que nous avons dit, & n'en fait voir „ plus clairement la veritè, que l'ancien Oracle adreſsè „ de la part du Pere à J.C. lorſqu'il fut baptizè dans le „ Jourdain: Vous êtes mon Fils; c' eſt aujourdhui, que je vous ai engendrè. „ *Saint Hilaire les rapporte auſſi dans ſon texte en cet endroit de l' Evangile de Saint Matthieu, & les explique du Batême de J. C. tant dans le Commentaire de ce paſſage, que dans l'onzieme Livre de la Trinitè, où il dit*, " qu'il eſt viſible, que J.C. a „ reçù l' onction de l' Eſprit & de la vertu de Dieu, „ quand on entendit, lors qu' il ſortit du Jourdain, cette „ voix de ſon Pere: Vous êtes mon Fils; je vous ai en- „ gendrè aujourdhui". *Saint Auguſtin remarque dans le ſecond Livre de la Concorde des Evangeliſtes, chap.* 14. *que ces paroles*, " Vous êtes mon fils, je vous ai engendrè aujourdhui", *ſe trouvoient dans pluſieurs Exemplaires de l' Evangile de Saint Luc; & quoiqu'on diſe, qu'elles n'ètoient point dans les plus anciens Exemplaires Grecs, il ajoute neanmoins, que ſi on peut prouver par des Exemplaires dignes de foi, que ces paroles ſont de l' Evangeliſte, il faudra dire, que l'une & l'autre de ces deux ſentences ont été entendües du Ciel. Ce que Saint Auguſtin remarque de Saint Luc, eſt auſſi vrai de l' Evangile de S. Matthieu; puiſque S. Hilaire rapporte ces paroles dans ſon Texte, & que Juvencus dans ſa Paraphraſe de cet Evangile rend ces paroles, & non pas celles que portent nos Exemplaires:*

„ Tunc

„ Tunc vox miſſa Dei longum per inane cucurrit,
„ Ablutumque undis Chriſtum ſtatuque perunctum
„ Alloquitur: Te, Nate, hodie per gaudia teſtor
„ Ex me progenitum; placet hæc mihi gloria prolis.

Le même paraphraſe une Addition ancienne qui ſe trouvoit dans ce même endroit de l'Evangile de Saint Matthieu dans les Editions Latines, & qui ſe trouve encore dans un Manuſcrit de l'ancienne Vulgate de la Bibliotheque de l'Abbaïe S. Germain des Prez: „ Et cum baptizaretur Jeſus, lumen magnum fulgebat de aqua, „ ita ut timerent omnes qui congregati erant. *C'eſt ce que Juvencus paraphraſe ainſi.*

„ Hæc memorans vitreas penetrabat fluminis undas.
„ Surgenti manifeſta Dei præſentia claret.

Il y a une autre addition bien plus conſiderable au Chap. 20. de l'Evangile de S. Matthieu, que Juvencus a miſe auſſi dans ſa Paraphraſe, & qui ſe trouve dans l'Exemplaire Grec de Cantbrige, dans quelques anciens Exemplaires de la Vulgate Latine, & dans la Verſion Anglo-Saxone. Adfert hic additionem, quam jam ex Simonio retulimus; inde ita proſequitur: *Il paroît que S. Hilaire avoit cette Addition dans ſon Exemplaire; car dans ſes Titres du Canon 20. ſur S. Matthieu, aprés le Titre,* De filiis Zebedæi, *on trouve cet autre,* De primo accubitu, *qui ne convient qu'a cette addition, qu'il explique preſque dans les termes qu'elle eſt conçüe dans l'ancienne Vulgate. Juvencus l'a auſſi trouvée dans ſon Exemplaire, & miſe en ces vers:*

„ At vos ex minimis opibus tranſcendere vultis,
„ Et ſic e ſummis lapſi comprenditis imos.
„ Si vos quiſque vocat cœnæ convivia ponens,
„ Cornibus in ſummis devitet ponere membra,
„ Quiſque rapit, veniet forſan ſi nobilis alter,
„ Turpiter eximio cogetur cedere cornu,

„ Quem tumor inflati cordis per ſumma locarat.
„ Sin contentus erit mediocria prendere loca,
„ Inferiorque dehinc ſi mox conviva ſubibit;
„ Ad potiora pudens tranſibit ſtrata tororum.

S. Leon dans l' Epitre 79. a l'Imperatrice Pulcherie, aprés avoir citè ces paroles, "Que celui d'entre-vous qui „ voudra etre le premier, ſoit votre ſerviteur; car le Fils „ de l'Homme n'eſt pas venu pour etre ſervi, mais pour „ ſervir, *ajoute ces mots*: Hæc illis inſinuabantur qui de „ puſillo volebant creſcere, & de infimis ad ſumma „ tranſire": *Ce qui repond aux premiers paroles de l'Addition ainſi enoncée dans un Manuſcrit de l'Abbaïe de S. Germain des Prez*. Hucuſque Dupinius. Omitto plura ejuſdem; omitto quæ tot notiſſimi Scriptores habent de diverſiſſima & a noſtris & inter ſeſe veterum Sacrorum Codicum Stichometria. Grabius & Blanchinus exempla ediderunt illuſtriſſima; inde ortæ aliquorum tantum membrorum amplioris Periodi Lectiones. Tot principiorum ac teſtimoniorum conſequutiones denique non adfero; quum pretium Libri aliquando ſit, erumpentia relinquere Lectoris ingenio conſectaria.

CAPUT III.

Primorum Sæculorum Patres, qui interpolatis vitiatiſque Scripturarum Codicibus uſi aliquando ſunt, a Joannis Clerici dicteriis vindicantur.

VArias inter Diſſertationes Criticas, quas, Prolegomenon loco ad ſuam Pentateuchi Tranſlationem, edidit Joannes Clericus, digna notatu

tatu illa eſt, cui *De optimo genere Interpretum Sacræ Scripturæ* nomen fecit. In eadem ſiquidem, quam diſficile ſit Libros Sacros interpretari, latiſſime oſtendit; multaque interpretationis peccata vitari quidem in præſens fatetur poſſe, vix olim tamen. Etſi vero probe ſe diligenterque in Sacri Verſione Codicis verſatum arbitretur; Lectoribus tamen ſatisfacere ſe potuiſſe ſuis nec credidit, nec ſperavit, niſi ſubjectis Paraphraſi ac Commentario, ex quibus, quæ ex nuda Interpretatione non poterant, orationis totius nexus, & ſeries apparerent. Quid enim pervium minus, quam varios probe reddere Hebraiſmos, voceſque, quæ nullas plane habent ἰσοδυνάμυς in aliis Linguis? Itaque & ſubdit: *Cum hæc idiomata, aliaque ſimilia paſſim occurrant in Libris Sacris, neceſſe eſt ſubinde ſudare Interpretem, ut fidi ſimul ac pudentis Interpretis munere defungatur; niſi in ſe fidem deſiderari, atque audaciam reprehendi velit. Fatemur quidem non eſſe nunc laborem vertendi tantum, poſt tot Viros doctos, quorum Tranſlationes habemus, quam fuit primis Interpretibus. Juvamur ſine dubio Tranſlationibus & veteribus, & recentioribus.* Poſt plurima denique concludit: *Amplam meſſem nobis in hoc rerum genere Majores noſtri reliquerunt; & accuratiores Tranſlationes, enarrationeſque Sacrorum Librorum procudere, iis alioquin ingenio, eruditione, & induſtria inferiores, poſſumus. Illorum ævo theologica atque ethica dogmata vix ſatis inculcari poterant: nunc vero notiſſima illa omnia cum ſint, non opus eſt amplius iis immoremur.* Hæc olim vero quum ſcripſerit data opera de Tranſlatoribus agens Clericus; æquis adeo principiis ipſe idem valedicit, inque veteres Eccleſiæ Patres acerrima invehitur Oratione, quod non emendatis olim, uti mox oſtendimus, uſi fuerint Scripturæ Verſionibus; oblituſque, Sanctos illos Viros jure ac me-

rito arbitratos, cuncta Spiritus Sancti verba ad Chriſtianam collimare Religionem, vix de ſuarum Codicibus Eccleſiarum, Grammaticæ ac Critices artium ope, primigenio cum textu conferendis cogitare potuiſſe; Eccleſiæ naſcentis nomine ac infantulæ, eam ſibi effinxiſſe videtur ideam ſocietatis, quæ Dialecticos in ſe continere debuiſſet acutiſſimos, Grammaticos, Chronologos, Geographos etiam, præſtantiſſimoſque Criticorum filios, homines tandem, qui ſacrarum in explanatione Scripturarum ſuam non modo humaniorum litterarum peritiam oſtentare debuiſſent; ſed nec unum umquam Scripturæ citare debuiſſent locum, qui ab Interpretibus corruptus fortaſſe, aut vitiatus, interpolatus denique fuiſſet. Quoniam igitur in hoc verſamur argumento, det mihi, obſecro, cordatus Lector hanc veniam, ut non tam digredi paullulum, quam immorari in illo aliquantiſper poſſim, quo veterem Eccleſiam, Sanctoſque Patres a criminationibus hujus Ariſtarchi vindicare pergam; quare tenuiſſima hæc mea Diſſertatio, ſi non præcipuo ab ſcopo, ab Epiſodio ſaltem, nonnihil ſibi pretii conciliet.

Clericus igitur, Quæſtione IX. inter Hieronymianas, hæc S. Patris verba in Præfatione ad Eſtheris Librum refert: *Librum Eſther variis Translatoribus conſtat eſſe vitiatum: quem ego de Archivis Hebræorum revelans, verbum e verbo expreſſius tranſtuli. Quem Librum Editio Vulgata laciniosis hinc inde verborum funibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant, & audiri: ſicut ſolitum eſt ſcholaribus Diſciplinis, ſumto themate excogitare, quibus verbis uti potuit is qui injuriam paſſus eſt, vel qui injuriam fecit.* Hujuſmodi vero Hieronymi verbis hæc ſubjicit ſtatim Clericus: *Nemo non indignetur intempeſtivum, imo ſacrilegum Declamatorem, qui ingenio ſuo in re tam ſeria abuſus eſt;*

ſed

Digitized by Google

ſed nemo non miretur negligentiam Eccleſiarum, quæ talia legi publice patiebantur, aut non erant curioſiores Hebraicæ veritatis. Indidem colligere licet eorum imprudentiam, qui firmis rationibus conſenſum imperitæ multitudinis opponunt; cum nemo ſtatuere poſſit, ullius ponderis eſſe debuiſſe conſenſum Eccleſiarum tam indiligenter Libros ſacros habentium, ut putidas Declamatiunculas pro Scriptoris Sacri fœtu obtrudi ſibi paterentur. Ejuſdem vero in fine quæſtionis, illis quæ Hierōymus ſcripſit, tot videlicet ſuo fuiſſe tempore Evangeliorum Exemplaria, quot Codices, hæc adjicit idem Clericus: *Quæ cum lego, non poſſum ſatis mirari Concionatores illos aſſiduos, Interpreteſque Scripturæ Sacræ non paucos, & qui de controverſis Capitibus tam multa quotidie ſcriptitabant in Italia, in Galliis, in Hiſpaniis, in Africa, potuiſſe tamdiu acquieſcere in uſque adeo depravatorum Exemplarium uſu; unde neceſſe erat innumeras falſas interpretationes, atque incredibilem copiam ineptorum conſectariorum naſci. Summa quidem Religionis Chriſtianæ in corruptis Exemplaribus intemerata remanſerat; quæ ſatis eſſe poterant ad conſequendam ſalutem, ſi fideliter excepta exequutioni mandarentur. Verum ſatis hoc non erat iis, quorum munus fuit pro Concione Scripturam interpretari, ſcribere in eam Commentarios accuratiores, ac diſceptare contra Hæreticos. Ut enim hæc recte fiant, oportet prius accuratum & emendatum habere Scripturæ contextum, ac præſertim quidem Novi Teſtamenti. Quod tametſi tunc deerat pleriſque Occidentalibus; tamen mirum eſt, quam Scriptores illius ævi ſeſe in re, quæ quomodo eſſet recte facienda ignorabant, jactarint, quoſve plauſus ab imperitis hominibus illarum ætatum ac ſequentium æque ignararum, aut etiam ignariorum retulerint, quibus etiamnum hodie magna pars Europæ perſonat. At ſane*

plauſus

Digitized by Google

plauſus illi imperitorum, quibus Europæ theatrum a tot ſæculis refertum eſt, eorumque, qui Echus inſtar eos repetunt, atque ad faſtidium aurium eruditarum iterant, non obſtabunt, quominus clara voce dicamus, non Damaſum ſolum ſibi ab Hieronymo privatim petere debuiſſe, ut recenſeret Codices Latinos, ſed univerſum Occidentem, qua linguæ latinæ uſus patebat, oportuiſſe publice Viris græcæ & latinæ Linguæ peritiſſimis hoc negotium dare, ut ex toto Oriente quovis pretio ſibi compararent, aut certe mutuos acciperent plures antiquiſſimos Codices græcos, atque ex iis diligenter collatis Latinam Tranſlationem Novi Teſtamenti ſumma fide adornarent, quæ in Eccleſiis legenda publice poſtea poneretur, & cujus confectæ tota ratio ad Poſteritatem publicis monumentis tranſmitteretur. Si tam utilis conſilii in mentem veniſſet Præſulibus, ejuſque exequutio ab iis diligenter curata fuiſſet; ab omnibus ſummæ gratiæ illis actæ eſſent, & etiamnum a nobis deberentur. Sed multo facilius fuit, ſine lege & modo apud rudes Populos declamitare, & ſcriptitare, quidquid veniebat in mentem, ſumma cum laude, licet immerita; quam cohibere judicium & linguam, donec labore improbo quæſiti atque inventi eſſent veri Scripturarum ſenſus. Jam multis ab ætatibus, ſi verum dicere licet, ei garrulitati erant homines adſueti; jam graviſſimi, ut habebantur, Scriptores æternam famam adepti ſibi erant, Libris ſcatentibus paralogiſmis, & falſis conſectariis deductis a Scriptura male intellecta; futilibus argutiis integræ Conciones ubique dudum plaudebant. Quod ſiquis ſubito & privato præſertim conſilio ad emendata & recte converſa Exemplaria Scripturæ Chriſtianos revocare conatus eſſet, veroſque ſenſus grammatica accuratiore erutos Vulgus docere; Concionatorum omnium ac Scriptorum iram in ſe conciliaſſet; quorum Homiliæ, Commenta-

Digitized by Google

mentatiunculæque innumeræ, & univerſa farrago intempeſtivæ eloquentiæ, Scripturam temere ac in alienos ſenſus ſubinde torquentis, ludibrio expoſitæ fuiſſent; & quorum ingenia acumina ſecure captantia ex iis quæ non intelligebant, pro plauſibus adſuetis, acerrima paſtoritiæ fiſtulæ ſibila, non ſine ſummo dolore audiſſent. Hinc factum videtur, ut Latinæ Eccleſiæ tamdiu prava Verſione pertinaciter uſæ ſint, neque, quod facillimum factu erat, publice eam emendari curarint....... Hæc oſtendunt, ætate illa, quam Vir ingenioſus Antonius Arnaldus exiſtimabat olim fuiſſe Eccleſiæ primitivæ florentiſſimam & eruditiſſimam, homines multo æquiores ac doctiores ſequentibus non fuiſſe. Ita Clericus de prioribus illis diſſerit naſcentis adoleſcentiſque Eccleſiæ Sæculis, quæ caſtiſſimi videbantur olim Proteſtantium amores; atque ita ſuorum Proteſtantium delicias in horrorem vaſtæ ſolitudinis vertit: ſi tamen inter ſuos hominem hunc recenſere velint Proteſtantes, qui & doctrinam omnem, & nullum prorſus dogma complexus eſt.

Si jam memoratum Frickii judicium de Hieronymiano teſtimonio ſequi placeret; rueret illico univerſum querelarum, animadverſionum, ac dicteriorum Clerici fundamentum. Revera vel inter Catholicos non defuerunt, qui tantam illam, de qua Stridonenſis loquitur, Sacrorum Codicum corruptionem exaggeratam eſſe Hieronymiano ſtylo arbitrarentur; ingentem illum Virum, alterum eſſe magnum & immenſum mare animadvertentes, quod arcano Spiritus impetu percitum intumeſcens, in unum littus ita fertur penitus, ac incumbit totum, ut alterum ei oppoſitum ſiccum deſtituat; utque Oceanus, poſtquam exæſtuans hanc plagam longe lateque inundavit, mox paulatim in alveos ſibi a Deo definitos redit; ita noſtrum illum ubi

in

Digitized by Google

in vitiatum aliquid effuſus longius excurrerit, mox ſe recolligere, ſeque ad eum placidæ æqualitatis referre modum, qui ædificet domum Dei. Itaque & Morinus Libro Exercitationum Biblicarum I. Exercit. IV. Cap. 3. Hieronymum aliquando ἐμφατικῶς loquutum fatetur, & propter verborum vim & ὑπερβολὴν ea ſentire videri, *quæ tamen conſtanter negat, aut certis tantum circumſcriptionibus adbibitis fatetur*. Et Joſephus Acoſta, doctiſſimus Societatis Jeſu Vir, Lib. II. de Chriſto revelato Cap. 20. ſcripſit: *Si dum Hieronymus importunos mordaceſque canes a ſe depellit, Vir ſanctus tantiſper in Septuaginta Vulgatam tunc Editionem invectus eſt; donandum eſt egregio Chriſti militi, qui in medio certamine poſitus, ardore feriendi Adverſarios premit etiam interdum Socios*. Quare hiſce principiis qui procederet, in illorum vindicationes Codicum derivare facile poſſet quæ in pulchro *De Veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum Corruptoribus* Tractatu docuit Cl. Germonius, maxime parte altera Lib. I., ubi oſtendit, Hæreticorum Sacros Codices adulterantium perfidiam haud obfuiſſe certiſſimæ Sacrorum Librorum integritati, & firmiſſimæ auctoritati; temere dixiſſe ſcilicet ac falſo Hæreticos quoſdam, Scripturam Sanctam, qualem legebat Catholica Eccleſia, fuiſſe vitiatam; difficillimum Hæreticis fuiſſe Sacros Codices, quos Catholica ſervabat Eccleſia, violare; pleroſque Sanctos Patres Hæreticorum in falſandis Codicibus perfidiam reprehendiſſe, neque exiſtimaſſe tamen, ea quæ in Orthodoxorum Eccleſiis legebantur Exemplaria in ſuſpicionem falſi venire potuiſſe; Segregum denique in violandis Sacris Libris morem ſuſpectos facere ipſorum Hæreticorum Codices, non illos quos legebat Catholica Eccleſia. Hæc, inquam, & quæ adfert Germonius argumenta adſciſcere poſſet qui laudatis

datis principiis adhæreret. Non ita nos tamen, qui in re facti, cum & olim extiterint monumenta, nobiſque etiam ſuppetant qualia ab ipſo indicantur Exemplaria, Hieronymi teſtimonio ſtare decrevimus; quique oſtendi evidenter poſſe arbitrati ſumus, Scripturarum admixtionem, quam nonnulli Lectionibus SS. Patrum objiciunt, additiones etiam, ac prætermiſſiones, ipſis illorum temporum Codicibus, in quibus admixtiones illæ Scripturarum erant, additiones, interpolationes plurimæ, eſſe aſſerendas. Alia igitur via Sanctos illos Patres, qui inemendatis illis uſi aliquando ſunt Bibliorum Codicibus, a dicteriis Clerici vindicamus.

Illud tamen hic haud poſſum præterire, tam acerbam adverſus Patres veteres querelam, Hieronymi verbis tantummodo nixam, male Clericum decère, Auctorem nempe quæſtionum Hieronymianarum, qui totus in eiſdem fuit, ut evinceret, nullam Scriptori illi deberi fidem, homini videlicet, Clerici ſententia, mirifice ad jactantiam diſſimulationemque compoſito, homini, cujus ars erat rhetoricari, & Declamatorum in morem impudentiſſime ludere. Audiamus ipſum Clericum quæſtione inter laudatas VIII. de uſu Operum illius Patris agentem, & cautione in iis legendis adhibenda: *Cavendum nobis eſt ab inſigni inconſtantia, quæ in Hieronymo paſſim deprehenditur; ab ejus ſtylo Declamatorio & hyperbolis referto; ab affectibus, quibus non parum indulgebat; a fictionibus, quibus uti non verebatur, ubi conſiliis ſuis utiles judicabat; denique ab alienis opinionibus, quas ita ſuis admiſcet, ut ſæpe vix poſſint ſecerni*. Proſequitur Amſtelædamenſis Profeſſor: *Primum igitur cavere ſibi debent qui Hieronymum legere aggrediuntur, a declamatorio ejus ſtylo, quo, quæ vult laudare, ſine modo extollit; quæ vero vituperare inſtituit, ita infamat, quaſi intoleranda plane eſſent. Siquibus*

ſa-

favit, nullas mediocres virtutes, quibus adverſatus eſt, nulla modica vitia habuerunt. Opiniones quas probavit, non tantum vera, ſed & maximi momenti dogmata fuere; quas vero rejecit, non quaſi hallucinationes dumtaxat humano ingenio ignoſcendas, ſed ut graviſſimas hæreſes damnavit ... Hoc eſt perpetuum fere incommodum in ratiocinationibus illis Hieronymianis, quod nimium probent: ac proinde ex legibus Dialecticorum prorſus inanes ſint. Deſcriberem univerſas vero quæſtiones Clerici Hieronymianas, ſi in medium producere loca omnia vellem, in quibus Sanctus Pater fraudis, exaggerationis, hyperbolarum, ac malæ fidei poſtulatur. Verum ſi hujuſmodi fuit, Judice Clerico, Hieronymus; cur ex iis, quæ in Præfatione habet ad Librum Eſther, argumentum ſumere ſe jure poſſe arbitratus eſt Amſtelædamenſis Profeſſor, unde veterem Eccleſiam, omneſque illius ætatis Præſules ac SS. Patres, ſocordiæ, negligentiæ, ignorantiæ, ſupinitatis tam craſſæ vehementiſſime coargueret? Si nulla fides exaggeranti ſemper ac nimium Hieronymo; itaque non adeo corrupti Codices qui in Eccleſiis legebantur; non eruta ex Codicibus inemendatis fidei doctrina; non acquieverunt imprudenter SS. Patres in longo depravatorum Exemplarium uſu. Ubi, quæſo, inveniet Clericus, quave ratione evincet, ſumma Chriſtianæ Religionis Capita ab aliquo Codicum vitiatorum textu eſſe derivata? Profecto, ſi, Clerici ſententia, cenſendus malæ fidei Hieronymus; ejus etiam ſententia, ab omnibus relatis criminationibus erit abſolvenda illius temporis Eccleſia.

Porro ea eſt conſtans ubique Clerici, nequid gravius dicam, inconſtantia, ut quos conviciis proſcindit, eos appellet Judices & mirifice exornet Patres. Ut ex Hieronymo, cui fidem abrogat omnem, ſuffragium audet conradere, quo Patres omnes, totamque heroicorum tempo-

temporum Eccleſiam percellat ac diruat; ita ſe ipſe confert in auctoritatem & fidem Patrum, ubi puriora ac ſinceriora ſeſe proferre teſtatur Antiquitatis Chriſtianæ monimenta. Rem heic acu tangimus, & Clericum inducimus, non tam Epiſodio & Prologo, quam Scopo & Comœdiæ ſervientem. Magnus hic Criticus Lectiones quaſdam Sacras ceteris præſerendas arbitratur. Cur id vero? Mirum ſane: quod Patres, ii, inquam, Patres quos tanquam barones traducit, eas ceteris præferant. Explicat enim in additionibus ſuis ad Hammondum comma tertium Capitis V. Act. Apoſtolorum, quod ita in Textu legitur: *Εἶπε δὲ πέτρος· Ἀνανία, διατί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σου, ψεύσασθαι σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ, νοσφίσασθαι ἀπὸ τῆς τιμῆς τοῦ χωρίου.* Et ita vertit Vulgatus Interpres: ***Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?*** Sed cum non placeat homini expoſitio, hæc in loci enarratione habet: „ *Διά τι ἐπλήρωσε* Negatione „ hæc exponenda: neque enim aliud vult Petrus, niſi: „ ***Quare non impediiſti ne Satanas impleret animum*** „ ***tuum?*** *Διά τι μὴ κεκώλυκας ἵνα μὴ ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σου πληροίη*: hoc eſt, debebas impedire, ne Satanas animum tuum occuparet, eumque mendacio „ manciparet; nimirum, precibus ad Deum fuſis. Siquidem ſæpe voces ***adfirmativæ***, ut loquuntur, debent ***negativis*** exponi; quare & ſuperiore Capite VI. „ 28. *γενέσθαι* perinde eſt ac *οὐ κωλύειν ἵνα μὴ γένοιτο* „ ***non impedire, ne fieret***. *πληροῦν* hic involvit non modo tentationem, ſed effectum tentationis noxium: „ Cum enim Cacodæmon tentat animum, fores veluti „ ejus pulſat, nondum occupat; ſed cum ſuperior fuit „ admiſſus, eum totum implet, omnemque virtutem „ ex eo ejicit. Senſum interrogationis hujus, & verbi

„ *πληροῦν*

„ *πληρῶν* cum non ſatis adſequeretur *Hieronymus*, „ vertit: *cur tentavit ? Theodorus* quidem *Beza* vult „ eum legiſſe ἐπείρασε, hoc eſt, *tentavit*; ſed duo ſua- „ dent, eum ſenſum potius conatum exprimere, aut, „ ſi ita legendum putabat, conjectura dumtaxat ſua, „ non Codicibus fretum fuiſſe. Primo, omnes Codd. „ quorum excerptas varias Lectiones videre licuit, „ cum noſtra lectione conſentiunt. Neque enim Va- „ leſianos confictos & commentitios numerandos cen- „ ſeo. Deinde, conſtat *Veterem* Translationem, ante „ *Hieronymi* tempora, habuiſſe *implevit*: ſic enim „ hunc locum profert *Cyprianus* Teſtim. Lib. III. §. „ 30.„ Clericus hucuſque, cujus interpretationis nec vim, nec cauſſas judicabo, quas Theologicam ad theoriam pertinere ſuſpicor, quam quum adtingere ſe nolle millies proteſtetur in hoc ſuo Commentario, in ea fere tamen perpetuo verſatur. Veriorem credamus igitur quam ipſe adfert interpretationem, & quamquidem video Joanni etiam Leuſdeno acceptam, ita comma illud efferenti: *Dixit autem Petrus : Anania, propter quid implevit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritum Sanctum, & intervertere de pretio prædii?* Verum, judice Clerico, cur Verſio hæc idonea etiam magis? Quia nempe ita vetus Interpretatio legebat. Cur id vero? Quia ita allegavit Cyprianus Libro Teſtimoniorum tertio. Itaque puriores Verſiones textubuſque magis accedentes, hujus hominis ſententia, Patres veteres citabant. Neque hæc excidiſſe putaveris ſupremo iſti Cenſori. Nam ad Patrum citationes confugit cum alibi, tum in Caput Actorum Apoſt. X. 25. ubi Cantabrigienſem Bezæ olim Codicem, Paraphraſim dicendam eſſe potius, quam Codicem Lectionum diverſitate laborantem oſtendens, hominem nempe Græce doctiorem, quam fuit Actorum Scriptor, verba ejus ſubinde in elegantiores loquutiones, ac ἑλληνικωτέραν

&

& molliorem mutaſſe conſtructionem, ſcribit: *Critiæ numquam litarunt, qui, contradicentibus licet omnibus aliis Codicibus, & antiquiſſimis Patribus, cum iis conſentientibus, volunt has eſſe varias Lectiones, eaſque antiquiores iis quæ in noſtris Codicibus leguntur.* Hæc de Clerici Critice ex Clerici ſententia.

At vindicationes Patrum, non ex argumentis, ut dicitur, *ad hominem*, ſed amplioribus certioribuſque ab principiis depromamus; iis, inquam, ab principiis, quæ Clericus ipſe, omnibus cum Theologis, Hiſtoricis, ac Criticis, ſæpeſepius ingeſſit. Princeps ex maxima eruitur qua apud antehieronymianos Patres gaudebat auctoritate LXXviralis Verſio, & ceteræ ex eadem derivatæ Interpretationes. Certum quippe eſt, veteres Eccleſiæ quatuor priorum Sæculorum Patres, ob excogitatam illam Ariſtæanam fabulam, aliamque de totidem Cellulis priori adjectam, LXX. Interpretes, innocenti errore facti, non tam pro puris Interpretibus, quam pro Prophetis ac Viris a Deo inſpiratis habuiſſe. Verſionem illam jam ante Divini Servatoris adventum permagni fecerant Judæi Ægyptum, aliaſque Græcas Regiones incolentes. Quum enim ejuſmodi Judæis, majori ſaltem eorum parti, vernacula tunc eſſet Græca Lingua, nec Hebraicam amplius intelligerent; acceptiſſima eiſdem fuit illa Verſio, qua omnibus ad Scripturas pateret acceſſus: atque ut eidem, apud populares ſuos, tum etiam apud Exteros majorem conciliarent auctoritatem, memoratam excogitarunt narrationem, & circa Chriſti tempora aliam de Cellulis finxerunt, ut divinior crederetur. Sancti Patres igitur priore Chriſti ſæculo, qui, uti Teſtamenti Veteris Scripturas a Synagoga acceperant, ita & illius Verſionis opinionem, jure ac merito videbantur minus ſolliciti debere eſſe de alia Interpretatione inquirenda, aut concinnanda, recteque in illius uſu acquieſcere, non pro-

pter opinionem modo, quam innocenter de eadem hauſerant, ſed multo magis, quod eadem Verſione, utpote tunc Judæis acceptiſſima, feliciſſime uterentur ad Judæos ipſos oppugnandos. Fatetur hoc apertiſſime Patrum Criminator Clericus Tomo XX. Bibliothecæ Novo-Antiquæ pag. 43. ubi, poſtquam LXXviralem Interpretationem Hebraico cum textu aliquando minus convenire adfirmavit, ita proſequitur: *On ne doit pas s' imaginer là-deſſus, que les anciens Chretiens ne pouvoient pas ſe defendre contre les Juifs, où les convaincre par le Vieux Teſtament, tel qu' ils l' avoient en Grec, de la varietè de la Religion Chretienne. Les Juifs Helleniſtes d' alors n' ètoient pas Critiques, & ils reçevoient la Verſion Greque a peu prés telle qu' elle eſt. Les Apôtres les ont attaquè par-là, ſans pointiller, comme nous faiſons, ſur l' Hebreu, que les Helleniſtes n' entendoient pas. Quand on employe un argument* ad hominem, *comme on parle, pour prover une veritè, qui eſt aſſûrèe d' ailleurs; on ne fait point de mal de s' en ſervir &c.* Videnda addit, quæ ipſe docet in adnotationibus ad Epiſtolam ad Hebræos IX. 16. quæque Millius in fine ſui ad eandem Commentarii ſubjecerat.

Judæi, qui ad initium uſque ſecundi a Chriſto nato ſæculi LXXviralem Interpretationem divinæ auctoritatis crediderant; quum viderent demum maximæ utilitatis eam Chriſtianis eſſe, quod ex eadem cum adverſus Synagogam, tum adverſus etiam Gentes apertiſſima depromerent ad evincendam Chriſti divinitatem teſtimonia; illi detrahere cœperunt, dicereque, multa in eadem eſſe ab Hebraico textu diſſona, multa deſiderari, redundare plurima; quare LXX. Interpretatione relicta, Verſione Aquilæ, hebraico, uti dicebant, cum textu magis conveniente, uterentur. Verum haud movebantur omnes Patres non ſinceris Judæorum querimoniis, hærebatque altius in eorum men-

tibus

tibus prophetica Verſionis origo. Nec enim ſuſpicari legitime poterant, Ariſtææ Libellum ab aliquo Judæo Helleniſta fuiſſe confictum. Eccur enim credere voluiſſent, narrationem, quæ tantam LXXvirali Interpretationi conciliabat auctoritatem, ortum ab illis, aut ab eorum uno habere potuiſſe, qui omni ſtudio illam deprimere conabantur? Non igitur ad Hieronymum uſque, ſed & poſt ipſum etiam, viguit narrationis, ceterum fabuloſiſſimæ, fides, imo ad Vivem uſque & Scaligerum, vix poſt Hodii, Pagii, Simonii, Clerici, Dupinii, Petitdidierii elaboratiſſimas Elucubrationes antiquata penitus ac labefactata.

Illud accedebat etiam, putaſſe SS. Patres LXXvirali Verſione uſum eſſe Chriſtum Servatorem noſtrum, eaque uſos Apoſtolos: quod equidem tanti ponderis apud ipſos fuiſſe vidit Hieronymus, ut Interpretationem ſuam Hebraico e textu vindicaturus, haud ita certum fuiſſe ſcripſerit, Chriſtum & Apoſtolos teſtimonia Scripturarum ex LXX. Interpretatione ſemper recitaſſe; quum ex locis Veteris Teſtamenti, quæ in Recentiore allegantur, plura ſibi viderentur cum Hebraico Textu magis, quam cum Græcorum Elucubratione convenire. Hoc abſque idoneo fundamento a Stridonenſi pronunciatum nos ſuſpicati ſumus; quod ejus tempore, ejuſque teſtimonio, plurima, temporum injuria, & Scribarum oſcitantia, irrepſiſſent in LXXviralem Interpretationem menda. Clericus Tomo XX. Bibliothecæ Novo-Antiquæ Parte I fuſe oſtendere conatur, Apoſtolos ex LXXvirali revera Interpretatione teſtimonia allegaſſe; licet adhuc velit, *que cela ne la met neanmoins pas au deſſus de la cenſure*; *& qu' ils ne l'ont citée, que par condeſcendance pour les Juifs Helleniſtes*. Quare & ſcribit p. 18. *Il eſt bien certain, que les Apôtres ont été éclairez & conduits par le S. Eſprit*; *mais rien n'empeche, que cet Eſprit ne ſe ſoit*

 ac-

accomodé à certaines Opinions, qui ne faiſoient alors aucun tort a la Religion Chretienne, & qui étoient reçuës communement. Telle étoit l' opinion des Juifs Helleniſtes, que la Verſion Greque, que l'on nomme des Septante, étoit une bonne Verſion: comme on peut s' en aſſûrer par Philon & Joſeph. Poſé, que cette opinion fût non ſeulement reçuë, comme elle l' étoit en effet; mais encore que cette Verſion ſoit bonne pour le gros; c' eſt a dire, qu' elle contienne l' Hiſtoire de la Religion Judaique en general,& en particulier ſelon le ſens des Auteurs Sacrez, dans la plûpart de leurs diſcours, comme on n' en peut pas douter; on ne fait point de tort à la ſageſſe des Apôtres, en diſant qu' ils ont eu cette condeſcendance pour les Juifs Helleniſtes, que d' employer cette Verſion pour appuyer la Doctrine Chretienne. En effet les Auteurs du Nouveau Teſtament s' en ſont ſervis pour cela; ſans eplucher trop la force des termes Hebreux, ni ſe piquer de raiſonner la-deſſus, comme font les Critiques modernes. Tout le monde ſait de quelle maniere les Juifs Helleniſtes ſe ſervoient de cette Verſion, par l' exemple du Philon. On ne pouvoit pas trouver a redire, parmi les Juifs, que les premiers Auteurs Chretiens en fiſſent autant; où plutôt qu' ils uſaſſent, avec beaucoup de ſobrietè, de la maniere ordinaire en ces ſiecles-là de citer l' Ecriture. In illa igitur, falſa quidem, ſed innocenti anticipatione in qua Patres erant de divina veluti LXX. Interpretationis origine, inque vera opinione de ejuſdem uſu a Chriſto & ab Apoſtolis facto, eccur inde tantæ, juxta illos, Verſioni non acquieviſſent, curve Hebraico de fonte ſolliciti eſſe debuiſſent? Et tamen tanta fuit eorundem maxime Græcorum Patrum de veriori Lectione cura, ut non modo Heſychii, Luciani Martyris, Euſebii & Pamphili, ſive Origenis Editiones, ceu emendatiores, in Eccleſiis Græ-

cis

cis circumferrentur, ſed apud nonnullas etiam & Patres aliquos, obtinerent Aquilæ, Theodotionis, & Symachi Interpretationes, quas Judæi hebraico magis acceſſiſſe textui fatebantur. Sane erat illud maximum purioris Lectionis ſtudium, quod vel odium infenſiſſimum Chriſtianorum adverſus Judæos ſuperaret.

Aliter vero haud ſentiebant Latini Patres a Græcis; ſive originem Verſionis ſpectes; ſive ejuſdem factum ab Apoſtolis & a Chriſto uſum: eaque opinio tanta ac talis erat, ut & in Latinam etiam LXXviralis Verſionis Interpretationem influeret, h. e. maximam Interpretationibus etiam ab LXXvirali derivatis fidem conciliaret ac auctoritatem. Vidimus ſuperiori in Parte, Rufini hac de re adverſus Hieronymum in Invectiva teſtimonium; fuſiuſque adduci ex Auguſtino poſſet, Libro de Civitate Dei XVIII. Cap. 43. qui & Theologico quodam Syſtemate præconceptam opinionem tuetur; niſi pervium cuique eſſet. Hæc vero omnia quum probe nota Clerico fuiſſent, nullo certe jure veteres Patres tam acerbe arguere videtur, quod acquieviſſent in LXXviralibus Codicibus, & de nova Bibliorum Editione minus ſolliciti fuiſſent; quo eos præſcriptionis etiam & conſtantiæ ratio adducere videbatur; nullo, inquam, jure eos arguere videtur, ea maxime de cauſſa, quod paſſim, & quacumque innumerorum Librorum Pagina Clericus ipſe contemplativos ejuſmodi errores, & deducta ex eiſdem conſectaria, non tam culpæ, quam imbecillitati hominum tribuenda velit, & humanæ naturæ vitio condonanda.

Queritur ille quidem, quod non ſatis eſſent Patres Hebraicæ veritatis curioſiores; ſubdit, non Damaſum modo ſibi privatim ab Hieronymo petere debuiſſe, ut recenſeret Codices Latinos, ſed univerſum Occidentem oportuiſſe publice Viris Orientalium Linguarum

Digitized by Google

peritiſſimis hoc negotium dare, ut ex toto Oriente emendatos ſibi compararent Codices, unde ſinceram conficerent Translationem; quod non perpetratum tamen, quia multo facilius fuit, ſine lege & modo apud rudes declamitare Populos, & ſcriptitare quidquid veniebat in mentem ſumma cum laude, licet immerita, quam, Hebraicæ ope linguæ, veros quærere Scripturarum ſenſus. Qua quidem in re quam parum ſibi conſtet Amſtelædamenſis Profeſſor, exprimere vix poſſum. Nonne ille idem eſt, qui Quæſtionibus IV. & V. Hieronymianis animadvertit, impoſſibile fuiſſe pene, prioribus Eccleſiæ ſæculis, Hebraicam callere Linguam, ob carentiam Grammaticæ ac Lexicorum; quare & apud Helleniſtas Judæos maxima eſſet Hebraicæ Linguę inopia ac ignorantia, nec, niſi per imperfectam traditionem, aliquid Hebraico in Codice intelligerent? Maſſoretharum errata, quæ Clericus ipſe non ſemel reprehendit, quæque adeo carpunt Maſclefianæ methodi Propugnatores, ſat evincunt, Chriſtianos prope ne cogitare quidem potuiſſe tunc temporis de illius Linguæ cognitione quantum ſatis erat haurienda. Infenſi nimium Chriſtianæ Religionis Hoſtes Judæi erant, ut ii fidos ſibi hos fore haud ſperarent Præceptores; quod & conceptæ, uti vidimus, de LXXvirali Verſione opiniones præpediebant. Nec adhuc tamen omnis veterum Patrum defuit illo in negotio diligentia. Origenes annos natus triginta, ut bene animadvertit Auctor optimæ legendorum Patrum Methodi Parte II. Cap. 2. ad divinæ Linguæ ſtudium animum convertit. D. Hieronymus, Occidentis Origenes, Græcum Latinumque ſermonem adprime doctus, quatuor uſus eſt Magiſtris, a quibus Hebraicam, & quinto, a quo Chaldæam linguam compararet, non erubeſcens, ut ait ipſemet, in hac lingua fieri Auditor, quum in ceteris omni-

omnibus foret Præceptor. Tantum in Græcæ Linguæ ſtudio profecerat Auguſtinus, ut Græcos ſaltem legeret Auctores: ſiquidem teſtis eſt ipſe in Epiſtola ad Audacem CCLXI. Novæ Editionis, *Pſalterium*, inquiens, *a S. Hieronymo tranſlatum ex Hebræo non habeo; nos autem interpretati ſumus, ſed Codicum Latinorum nonnullas mendoſitates ex Græcis Exemplaribus emendavimus, unde fortaſſis fecerimus aliquid commodius, quam erat, non tamen, quale eſſe debebat: nam etiam nunc, quæ forte nos tunc prætierierunt, ſi legentes moverint, collatis Codicibus emendamus*. Quid amplius Patres poterant mediis illis in Perſequutionum anguſtiis; in continuato illo inſtituendæ Plebis, & Epiſcopalis oneris pro dignitate adimplendi ſtudio, in illa Litterarum per univerſum Romanum Imperium inclinatione, nulla Arte Critices bene cognita ac tunc temporis ſtatuta? Quare non maledicere, ſed lætari potius debuiſſet Clericus, hanc ſibi ſpartam adornandam relictam eſſe. Quid enim ſibi reliquum fuiſſet; ſi ea omnia Patres calluiſſent? Nil ejus in Libris novi exſtaret, præter Arminianiſmum, & multa, ſine cauſſa, maledicta.

Quod vero non ſat firmum haberet tunc Eccleſia ſtatum, vix confecto Bibliorum Canone, nulloque exſtante conſecratæ alicujus Editionis Edicto; heinc tot Teſtamenti Novi Verſiones, & admixtiones illæ IV. Evangeliorum, unde Lectiones aliquando etiam Patres derivarunt ſuas, & reliqua, quæ prudentioribus & doctioribus Patribus minus arridebant. Quid tamen? Num defuere qui illi malo tempeſtive occurrerent Patres, idoneaque traderent Lectoribus media, unde diverſas Evangeliſtarum partes, vel in ita male compoſitis Codicibus, diſtinguerent, & ſuas cuique tribuere valerent? Non certe. Canones tutiſſimos memorat Hieronymus,

Præfatione in Evangeliſtas, ad Damaſum ſcribens, Canones, inquam, Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi Alexandrini, Ammonium ſequuti, quibus in decem numeros ordinatis uſus eſt ipſe Stridonenſis Pater, quoſque ut in Græco habebantur, expreſſit. Quare & ſcribit: *Cum itaque Canones legeris qui ſubjecti ſunt, confuſionis errore ſublato, & ſimilia omnium* (Evangeliſtarum) *ſcies, & ſingulis ſua quæque reſtitues. In Canone primo concordant quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. In ſecundo tres, Matthæus, Marcus, Lucas. In tertio tres, Matthæus, Lucas, Joannes. In quarto tres, Matthæus, Marcus, Joannes. In quinto duo, Matthæus, Lucas. In ſexto duo, Matthæus, Marcus. In ſeptimo duo, Matthæus, Joannes. In octavo duo, Lucas, Marcus. In nono duo, Lucas, Joannes. In decimo, propria cuique quæ non habentur in aliis, ediderunt. Singulis vero Evangeliis, ab uno incipiens uſque ad finem Librorum, diſpar numerus accreſcit. Hic nigro colore deſcriptus, ſub ſe habet alium ex minio diſcolorem numerum, qui ad decem uſque procedens, indicat prior numerus in quo ſit Canone requirendus. Cum ergo aperto Codice, verbi gratia, illud ſive illud Capitulum ſcire volueris cujus Canonis ſit, ſtatim ex ſubjecto numero doceberis: & recurrens ad principia, in quibus Canonum eſt diſtincta congeries, eodemque ſtatim Canone ex titulo frontis invento, illum quem quærebas numerum ejuſdem Evangeliſtæ qui & ipſe ex inſcriptione ſignatur, invenies; atque e vicino ceterorum tramitibus inſpectis, quos numeros e regione habeant, annotabis: & cum ſcieris, recurres ad Volumina ſingulorum, & ſine mora repertis numeris quos ante ſignaveras, reperies & loca in quibus vel eadem vel vicina dixerint. Sciendum tamen, ne quis ignarus ex ſimilitudine numerorum*

error

error involvat, quod ſicubi in ſubnotatione Canonum diſtinctorum, in Canone quolibet tres Evangeliſtæ bis, ter vel quater, aut etiam amplius eundem numerum per ordinem habuerunt annotatum, & quartus e contrario, diſcrepantes, quod id tres illi in eo loco ſemel dixerint, quartus toties in corpore Voluminis ſui ponat, quoties diverſi numeri in ejus Canone poſiti ſtant contra prædictorum numerorum continuatas ſimilitudines &c. Prolixum adeo, nec tamen integrum, adtuli teſtimonium, quo percipiant illi omnes, qui exiguam de Sacra Patrum Critice habent opinionem, eorum erga vel Scripturæ verba diligentiam vix Maſſorethicæ aut Leuſdenianæ cedere; eorum eſto aliqui Exemplaribus, quæ diverſorum Evangeliſtarum ſententias male mixtas continebant, uti aliquando æquum duxerint, cum & ea ita recepta ſcirent, & id non ſemel pertractandarum exigere rerum ratio videretur.

Sed nemo Auguſtino melius ac diligentius Sacram Criticem pertractavit, acutiſſimo ſupplere ſatagens ingenio quod ipſi deerat ex parte Linguarum. In ejus ſiquidem de Doctrina Chriſtiana Libris magis invenit quo proficiat Criticus Sacer, quam in infinitis Recentioribus, qui pro recta Bibliorum intelligentia Canones conſcripſerunt. Docet igitur primum, Graecam & Hebraicam Linguas neceſſarias prorſus eſſe ad cognitionem Litterarum Sacrarum: diverſitatem Lectionum ac copiam adjumento magis, quam impedimento eſſe ad eam conſequendam; quod nonnullas obſcuriores ſententias ſæpe manifeſtaverit plurium Exemplarium inſpectio. Quoniam vero, ſubdit, & quæ ſit ipſa ſententia, quam plures Interpretes pro ſua quiſque facultate atque judicio conantur eloqui, non apparet, niſi in ea lingua inſpiciatur quam interpretantur; & plerumque a ſenſu Auctoris devius

vius aberrat Interpres, ſi non ſit doctiſſimus: igitur aut illarum Linguarum, ex quibus in latinam Scripturam pervenit, petenda cognitio eſt; aut habendæ Interpretationes eorum, qui ſe verbis nimis obſtrinxerunt, non quia ſufficiunt, ſed ut ex eis libertas, vel error dirigatur aliorum, qui non magis verba, quam ſententias, interpretando, ſequi maluerunt. De percipienda verborum & loquutionum proprietate plura etiam fuſe docuit Hipponenſis Epiſcopus; oſtenditque, cognitionem animalium, herbarum, lapidum, ſimiliumque neceſſariam eſſe Exegetico: Prophanos, ſi quid boni dixerunt, non ſpernendos, ſed ſuum in uſum ab ipſo convertendos. Cetera demum monuit, quæ, inſtar perfectiſſimæ methodi, nos in Sacrarium illud inducere poſſint. Vel ab ipſo Tychonio Donatiſta celebres derivare non erubuit ad verum aſſequendum Scripturæ Sacræ ſenſum Regulas. Idem ille in Epiſtola ad Hieronymum IX. ſcripſit quoque: *Si aliquid in eis* (Canonicis) *oſtendero litteris, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud, quam aut mendoſum eſſe Codicem, vel Interpretem non eſſe aſſecutum quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam*. Eat nunc ergo Clericus, & fidenter ſtatuat, neceſſum fuiſſe ex depravatis Patrum Exemplaribus innumeras falſas interpretationes, atque incredibilem copiam ineptorum naſci conſectariorum. Quaſi recta Scripturarum interpretatio a textu potius, quam ab doctrina & judicio Interpretis penderet: quaſi ex authentico etiam textu deduci non poſſent, aut non deducerentur etiamnum ineptiſſimi paralogiſmi: quaſi denique Rabbinorum Commentarii, qui hebraico ſemper gaviſi ſunt fonte, quique Hebraicam enarrare ſe gloriantur veritatem, futilibus argutiis non ſcaterent.

Ce-

Ceterum, rem ſerio meditanti, ac ſobrie viriliterque judicaturo conſtabit certiſſime, veterum etiam corruptionem Exemplarium ad Lectionum diverſitatem, tametſi modo magis, modo minus a textu recedentem, ad mixtiones de quibus egimus, ad omiſſiones, & additiones aliquas, quæ ſubſtantiam rerum non mutant, totam eſſe reducendam; idemque demum teſtari omnes diverſarum etiam partium Criticos; ſeponere ſi velis emphaſim aliquorum, aut partium ſtudium. Non certe cum iis quæ ſcripſit in quæſtionibus Hieronymianis, ea conveniunt quæ Clericus habet in Bibliotheca Novo-Antiqua Tomo XVI, pag. 405. his verbis: *Quoiqu' on puiſſe dire d' ailleurs de l' habiletè & de l' attention des Maſſorethr, il peut y avoir des fautes dans les Conſonnes, qui ont etée cauſées par la longueur du tems, & par la faute des Copiſtes, comme dans tous les autres Livres, & en particulier dans le Nouveau Teſtament, ainſi que les varietez de Lecture le font voir. Il eſt à preſumer, que la Providence Divine a veillè ſur l' Ancien Teſtament, afin que ni le tems, ni les Copiſtes ne cauſaſſent des fautes qui introduiſiſſent quelque choſe d' opposè à la Loi de Moïſe; mais cela ne s' etend pas à des minuties de Grammaire, ou à des choſes, qui n'ont point de rapport a cette Loi. Il faut dire la mème choſe du Nouveau Teſtament, dont la conſervation intereſſoit, s' il faut parler ainſi, la Providence Divine; mais elle n'a pas empechè, qu' il n'y eut des varietez de Lecture, comme nous le voyons; mais dont aucun n' introduit quelque nouveau Dogme, ou qui ſoit oppoſè aux autres*. Quare igitur tantum obtendit Clericus in quæſtionibus Hieronymianis ſcandalum ob illa vitiata veterum Exemplaria; quum, vel ipſius teſtimonio, in Lectionum diverſitate, quæ ſenſum ac ſententiam non mutat, omnis pene corruptio ſita demum eſſe videatur?

Baſna-

Baſnagius, uti vidimus, libertatem Veterum in diverſarum uſu Scripturarum cum libertate comparat, qua gaudent Proteſtantes, apud quos & Verſionum Lectionumque copia, & promiſcuus earundem uſus. Hanc vero libertatem, hanc variarum Lectionum copiam cum Religione ac veritate ita ipſimet Proteſtantes componi poſſe cognoverunt, ut, quum audaciſſimus Auctor ex Variantibus hujuſmodi adverſum Revelationi eruere conaretur argumentum, *Dominus de Roches* Tomo I. Epiſtola XV. Libri, cui titulum fecit, *Defenſe du Chriſtianiſme, ou Preſervatif contre un Ouvrage intitulè, Lettres ſur la Religion eſſentielle a l' homme*, ita eidem prudentiſſime reſponderet: *Voila en effet de quoi epouvanter. Mais qui? Un enfant, ou un imbecille. Car s' il s' agit d' un homme qui ait quelque ſens, & qui ſache de quoi il eſt queſtion, il ne faira pas rire de l' embarras pretendu que l'Auteur veut lui faire trouver en ſon chemin. Ne diroit-on pas, à l'entendre, que les differences qu'il y a entre les Traducteurs, ſont qu' on ne ſçait plus ou' on eſt, lorſqu' on lit les uns, & les autres; qu'un Traducteur François par exemple, nous donne une Bible toute differente de celle que donne un Traducteur Anglois, ou Allemand; ou qu' une Bible traduite par un Proteſtant, eſt toute autre de celle qui a etè traduite par un Catholique Romain? Mais il n' y a pour ſe raſſûrer, qu' à lire quelque choſe de ces differentes traductions; on verra bientot que l' embarras, dont l'Auteur a voulu effrayer les gens, s'evanouit; que les differences ne regardent rien de ce qu' il y a d' eſſentiel dans l' Hiſtoire, dans la Morale, ou dans la Doctrine; & qu' à cet egard il importe peu, pour l' ordinaire, quelque Bible que l' on ſuive, parce que dans le fond, elle ſorte toujours la meme de ces differentes mains. S' il ſe trouve quelque fois des Traducteurs aſſez bardis, pour falſifier certains*

endroits

endroits importans de l'Ecriture, leurs falſifications ont bien etè relevèes, comme elles le meritoient; ceux de leur propre partì en ont eu honte, & apeine peut-on trouver aujourdhui quelques Exemplaires de ces Verſions infidelles. Si argumentari iterum *ad hominem* adverſus Clericum placeret, ita pergerem: Suis ille in Bibliothecis haud ſemel de Verſionibus agit Gallicis, ſive Veteris, ſive Novi Teſtamenti. In examen revocandam proponit tunc ſibi commatis alicujus interpretationem. Adfert in medium verba videlicet Bohourſii, inde Simonii, tum Ameloti, editionis etiam Portus-Regii, aliorum denique Interpretum Gallorum. Omnes Verſiones inter ſe diverſæ. Nulla tamen homini placet. Propriam ſubjicit, ac mirifice laudat, ceu hebraicæ, vel græcæ phraſeos, emphaſis Sacri Scriptoris, Canonum, & ſenſus tenaciorem. Ipſe idem tamen fatetur, etiam Gallicas illas Editiones in rerum ſumma, in eſſentia, ut ajunt, ſubſtantiaque textus convenire, Orthodoxas eſſe, nec in Interpretibus aliquid, niſi peritiorem Linguarum Orientalium, phraſeonque, & anomaliarum deſiderari cognitionem. Scribit aliquando idem Amſtelædamenſis Profeſſor: *Du tems de la Reformation, & pendant le Siecle, qui l'a ſuivie, on a fait quantitè de Verſions en Latin, & dans les Langues modernes, & encore plus de Commentaires, pour eclaircir les ſens Theologiques de l'Ecriture, pour en tirer des conſequences, tant pour confirmer la veritè, que pour refuter l'erreur; & l'on ne peut pas nier, qu'on n'ait reüſſi pour le gros, & pour l'eſſentiel. Auſſi voit-on, qu'en cela les Interpretes ſont aſſez d'accord entre eux; quoique tous ne donnent pas le meme ſens à chaque paſſage, & ne faſſent pas le meme uſage de tous*. (Biblioth. Anc. & Moder. Tom. XV. p. 61.) Quæ noſtris vero laudatur temporibus ex diverſitate Interpretationum ac Lectionum

ctionum harmonia, cur tam indecora veteri fuerit Eccleſiæ? aut cur argumentum ætate illa fuerit ſocordiæ & negligentiæ, quod noſtra diligentiæ indicium eſt, ac felicioris erga Divinum Textum ſtudii?

Oblivifci poterat quidem eorum Clericus quæ prioribus in Bibliothecis ſcripſerat, atque non poterat ea divinare quæ ſcripturus erat in poſteriori. Nullius tamen judicio venia dignus erit, eorum habita ratione, quæ eadem quæſtione VIII. inter Hieronymianas docet. Siquidem, quum, ejus maxime ſententia, emphatice loquutus fuerit Hieronymus, nec, niſi certis tantum circumſcriptionibus adhibitis, ejus teſtimonium admittendum eſſe videatur; ſequitur inde Stridonenſis verba vix Lectionum diverſitates confirmare, cum quibus ſtare integritatem textus, licitumque earum in Eccleſiis uſum, ſtatim ex ipſo Clerico videbimus. Agit, inquam, eadem in quæſtione VIII. hicce Criticus de recta ratione Scripturas interpretandi; ſignificationeſque vocum aliquas hauriendas docet ex Antiquioribus, nonnullas ex oppoſito e Rabbinorum Lexicis: quod ſe fœliciter præſtitiſſe olim gaudet, præſtiturumque ſpondet iterum, in enarrandis Veteris Teſtamenti Libris. Objectum inde ſibimet proponit, ac ita ſolvit: *Cum hanc viam iniviſſem ad eruendas occultiores vocum hebraicarum ſignificationes; Vir eruditus, in hac Urbe non ita pridem vita functus, mihi in ſermone familiari objecit, ſic fore ut Linguæ hebraicæ, Sacrorumque adeo Librorum ſenſus penderet ex judicio, conjecturiſque meis; quandoquidem ex collectione tot interpretationum, quarum demum eam præferrem quæ mihi optima videretur, colligerem poteſtatem vocum, & ſententiam loquutionum. Reſpondi primum, ad ſummam rei quod attinet, eam fore ſemper eamdem; quia de ea Interpretes omnes conſentirent, quæcumque ceteroquin eſſent eo-*

rum

rum in ſingularibus locis diſſenſiones. Deinde, ita ſe geſſiſſe, ante me, omnes Interpretes qui poſt alios plures ſcripſerunt; ex quorum interpretationibus collatis, eam elegerant quæ maxime arriſerat; nec ullum in rerum ſumma hinc incommodum ſequutum. Stat igitur conſenſio in rerum ſumma cum diſſenſione variarum Lectionum; nullumque ſequitur incommodum, etiamſi plurimi diverſimode interpretati ſint. Emphaticus namque ac Hyperbolicus ſi eſt Hieronymus, corruptiones, de quibus agit ac queritur, diverſæ Lectiones fortaſſe, additiones, omiſſiones ſolum erant, in contumeliam iccirco veterum Patrum non trahendæ.

Illud operæ nunc pretium eſſet, Clericum cum Clerico componere. Sed quid agas? Multa ſcripſit: ſatis eſt. Dein, qui Criticum acerrimum agebat, in partium ſtudio totus erat. Narravit mihi non ſemel doctiſſimus Cardinalis Quirinus, ſe Bataviam peragrantem, magnum illum inviſiſſe Virum, eruditionis fama celeberrimum: Percontatum ab eo fuiſſe, cui-nam Sanctorum Patrum primas arbitraretur ille tribuendas? Regeſſiſſe Clericum: Magno Auguſtino. Quid audio? tunc Quirinus: Putabam me cum Pherepono illo ſermones commiſcere, qui tantam fecit adverſus Auguſtinum querimoniam. Tunc Clericus: Quid tu? Ergo non ignoras me eſſe Phereponum! Ignoſce ſaſſo: Scripſi contra Auguſtinum, non quod maximam & debitam haud ſemper habuiſſem tanti Viri rationem; ſed ad conſternendos neſcio quos, qui illius Patris auctoritate nobis volunt Dodracenæ Decreta Synodi imponere, & acri ſtudio propugnare, utque verbo dicam, veſtram renovare, mutato nomine, Tyrannidem. Ita in præſenti eſt. Irritaverat magnum Virum, viventem adhuc, inconſulto Martianæus. Inglorium eſſe video & ego, vellere barbam mortuo Leoni; ſed ex oppoſito,

po-

Digitized by Google

potentiores acerbe provocare, Laderchianum eſt. Hieronymianas igitur quæſtiones dum ſcriberet Clericus, ea congeſſit omnia quæ poſſent Adverſarium torquere. Itaque & de primarum auctoritate Eccleſiarum, & dePatribus maledicendum ſtatuit. Scit quiſque quantum indomitæ poſſit iræ vis:

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem Sacerdotum incola Pythius,
Non Liber æquè; non acuta
Sic geminant Corybantes æra,
Triſtes ut iræ.

Certe, & ſentire poterat ipſe Clericus, Prometheum, quum Hieronymianas conſcriberet quæſtiones, inſani Leonis vim ſtomacho appoſuiſſe ſuo. Mirabar ego, dum Tomum evolvens Bibliothecæ ejus Novo-Antiquæ XX. pag. 358. hæc inveniſſem verba: *Il eſt etonnant, qu'en un païs auſſi eclairè, quel' eſt l' Angleterre, il y ait des gens, a qui il faille prouver des veritez de cette ſorte. Mais ſi c' eſt un païs de lumiere; il faut avoüer, que c'eſt auſſi un païs, ou les paſſions rendent obſcur ce qu' il y a de plus clair.* Qua de re nemo certe dubitabit. Sed ſperare ne poterat Clericus, futurum, ut nullus Lectorum ſuorum dubitaret, an aptari illa aliquando etiam poſſent *a ceux de deçà la mer?* Pænituit fortaſſe tamen ipſum etiam Clericum, iram olim ſe cohibere non potuiſſe; quare, maturiori ætate, in Bibliotheca Novo-Antiqua, Tomo XVI. p. 425. demum ſcriberet: *Plût a Dieu, qu'une bonne partie des mes Ouvrages n' exiſtaſſent plus, & que nous n' euſſions que des bons Livres!* Quæ quidem eo magis ad Hieronymianas quæſtiones referri poſſe ſuſpicamur, quo Clericum videmus ſui ipſius armis oppugnatum, eademque cuſpide confoſſum, qua vulnus Patribus infligere aggreſſus eſt.

CA-

CAPUT IV.

Diverſitas Lectionis Capite I. Evangelii Joannis apud nonnullos Patres ac Veteres aſſeritur; exque poſitis principiis non temere & arbitrario contexta, ſed ab Exemplaribus nonnullis illorum temporum derivata oſtenditur, illuſtratur, confirmatur.

DOctrinam de arbitrariis Patrum citationibus, ab aliis excogitatam, explicavit illuſtravitque Barzanus, ut conſequeretur demum, Lectionem, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*, quam Patres nonnullos ſuis e Codicibus excerpſiſſe ſtatueram, conſequeretur, inquam, eam etiam arbitrario fuiſſe, memoriter, ac tumultuario ab illis Veteribus pronunciatam. Qua quidem in re pauciſſimis expedire me poſſem, & reſpondere, nil in loco ad rem facere Criticorum de arbitrariis citationibus doctrinam. Siquidem ut ex conglobatis eorum teſtimoniis apparet, contendunt illi quidem, Sanctos Patres verba aliquando verbis, ſynonyma ſynonymis, dictiones æquipollentes dictionibus facile ſubſtituiſſe; in ordine verborum nonnihil in citationibus mutaſſe; ſenſum potius, quam verba Sacrorum Scriptorum protuliſſe; maximam ſententiæ, exiguam terminorum habuiſſe rationem; verba ſua verbis Scripturę inſeruiſſe; dictionum caſus numeroſque reliquo contextui accomodaſſe: hæc, inquam, omnia ac ſimilia contendunt quidem ipſi, ſed una tamen docent, Sanctos Patres, tametſi in citandis Biblio-

Digitized by Google

bliorum teſtimoniis verba non numeraverint, ſenſum tamen perpetuo ac quammaxime ſpectaſſe, de eodem admodum ſollicitos fuiſſe; quod rei veritas non in verbis conſiſteret, ſed in ſententiis. Itaque doctrina hæc Lectioni noſtræ, fateor, accomodaretur, ſi ita prope procul ſe haberet: *Qui non ex hominibus, neque ope carnis, aut ope viri, ſed ex Deo geniti ſunt*; vel: *Qui ex Deo potius orti ſunt, quam ex ſanguinibus, ex voluntate carnis, aut ex voluntate viri*. Verum res ſatis, imo nimis ex oppoſito ſe habet; non verba verbis ſubſtituuntur, nomina nominibus, dictionibus dictiones æquipollentes, ſed ſenſus ſenſui ſubſtituitur, ſententia ſententiæ. Quum enim Vulgata Lectio efferat: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo nati ſunt*; quæ ad ſpiritualem ac adoptivam Credentium generationem referuntur; Tertullianeа Lectio habet ex oppoſito: *Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt*; quæ ad æternam Verbi referuntur generationem, cui & hujuſmodi Lectionem Patres nonnulli afferunt. Variatur itaque ſenſus, variatur ſententia. Patres ergo tunc ex memoria Vulgatum textum haud profecto recitarunt; ſed aliam retulerunt Lectionem, alia uſi Verſione ſunt, aliis ab hodiernis Codicibus, hac diverſitate laborantibus.

Hoc vero ut certiſſimum eſſe dignoſcatur, latius etiam ea de Lectione diſſerere operæ pretium duxi; non quod modo occaſio ipſa fuerit qualiſcumque hujuſmodi Tractatuli, ſed quod etiam ei aptata ſuperiore Libro expoſita principia, illuſtrentur ipſa magis, ac veluti patentiſſimo exemplo confirmentur. Vidimus ex effato Cl. Garbelli, tunc Lectionem a noſtra diverſam apud Patres cenſendam eſse ab aliquo vetuſto Codice deſumtam, quum eadem in pluribus ac diverſis

ſis alicujus Patris Libris legitur; quum iterato eadem repetitur; quum ad eam plures alludunt Veteres; quum denique ad aliquid magni momenti demonſtrandum eandem uſurpant. Hæc omnia convenire Lectioni, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt*, negabit nemo. Siquidem ipſam non referunt modo Irenæus, Tertullianus, Auctor Dialogorum de SS. Trinitate, qui perperam Athanaſio tribuuntur; ſed ad eandem iterum iterumque eorum aliqui, Joannes Chriſoſtomus, & Damaſcenus, alludunt. Celebris eſt Tertulliani locus Libro de Carne Chriſti Cap. XIX. ubi ita differit adverſus Valentinianos: *Quid eſt ergo: Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt? Hoc quidem Capitulo ego potius utar, quum adulteratores ejus obduxero. Sic enim ſcriptum eſſe contendunt: Non ex ſanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, ſed ex Deo natus eſt..... Intelligimus ergo ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod ſapit voluntas Viri & carnis, non ex vulvæ participatione. Et quid utique tam exaggeranter inculcavit, non ex ſanguine nec ex carnis voluntate, aut Viri natum; niſi quia ex ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret? &c.* Alter ejuſdem Africani Scriptoris eodem in Libro de Carne Chriſti locus eſt Cap. 24. ubi ita adverſus Ebionem Lectionem illam effert: *Ideo etiam Marcionem proſpiciens* (Spiritus Sanctus) *Ego ſum, inquit, Deus, & alius abſque me non eſt. Et cum alias idipſum eodem modo dicit, neſcio quas illas Valentinianorum Aeonum genealogias pulſat. Et, Non ex ſanguine, neque ex carnis & Viri voluntate, ſed ex Deo natus eſt, Ebioni reſpondit.* Quinque accedunt ſanctiſſimi Lugdunenſis Epiſcopi Irenæi loca, quæ humaniſſima ſua in Epiſtola Barzanus etiam adfert,

& quorum alia Lectionem illam referre videntur, alia, quantum tamen ſatis eſt, alludere ad eandem. Lib. III. Cap. 16. *Non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex voluntate Dei Verbum caro factum eſt*. Lib. III. Cap. 19 *Cognoſcit autem illum is, cui Pater qui eſt in Cælis revelavit, ut intelligat, quoniam is, qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus eſt filius hominis, hic eſt Chriſtus filius Dei vivi*. Ibid. Cap. 21. *Uti non ex voluntate viri, ſed ex voluntate Dei, adventum ejus qui ſecundum hominem eſt intelligamus*. Eodem Capite jam dixerat: *Quoniam non ex voluntate viri erat, qui naſcebatur*. Lib. V. Cap. 1. *Et propter hoc in fine non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex placito Patris manus ejus vivum perfecerunt hominem, ut fiat Adam ſecundum imaginem & ſimilitudinem ejus*. Obiter notandum vero, Irenæum a doctioribus ac peritiſſimis harum rerum Viris haberi in citationibus ſacri Textus diligentiſſimum, atque accuratiſſimum. Siquidem de Libris ejus adverſus Hæreſes agens Millius ita ſcribit num. Prolegomenon 367. "Dolendum certe, „ opus hoc haud perveniſse ad nos integrum: ſic enim „ habuiſsemus egregium plane ſpecimen Textus Novi „ Teſtamenti, qualis jam initio fere Novi Canonis „ ferebatur: cum Irenæus accurate paſſim, & ad „ exemplaris ſui fidem citet loca Sacri Codicis, etiam „ integra haud raro Capitula, & bene largas περιοχάς; „ idque non ex una & altera parte Novi Teſtamenti, „ ſed pene ex omnibus, etiam iis quæ nondum relatæ fuerant in Canonem, Epiſtola ad *Hebræos*, Ja- „ cobi, ſecunda *Joannis*, & *Apocalypſi*; hujus enim, „ haud infrequenter hic citatæ, Exemplar probatiſ- „ ſimum ei ad manum fuiſſe certum eſt, cum hos „ Libros ſcriberet. *Vide Lib. V. cap.* 30. Hæc ille, ad-

addens, Græca, maxima ex parte intercidiſſe, & in his quæ ſuperſunt, Epiphanium, alioſque quibus ea debemus, haud ſemper citaſſe loca Novi Teſtamenti Irenæanum ad Textum, ſed nonnumquam ad Codices ſuos poſteriores: In Latinis autem id unum Interpreti fuiſse curæ, ut Scripturæ teſtimonia quæ eo in opere occurrunt exprimerentur verbis Interpretationis, quæ Celtis ſuis, totique Occidenti jam in uſu erat, Italicæ, ſive Vulgatæ. Itaque quum Irenæana, de qua ſermo in præſens eſt, Lectio ex Italica profecto derivata non ſit; Critici hujus opinione, inferendum eſt indubie, ad exemplar aliquod probatiſſimum Novi Teſtamenti, quale jam initio fere Novi Canonis habebatur, ipſam eſſe referendam; ea maxime de cauſſa, quod frequenter adeo ad Lectionem illam minus alluſiſſet, non ignorans oppoſitam vulgatam Lectionem fuiſſe unam olim ab orthodoxis Eccleſiis ac Patribus, inque emendatiſſimis Codicibus, probatam.

Auctor Dialogorum de SS. Trinitate, qui Athanaſio inſcribuntur, & quos Vigilii Tapſenſis fœtum eſſe aliqui putant, clarius oſtendit ita ſe legiſſe. Alter enim eorum qui ab ipſo loquentes inducuntur, videlicet Orthodoxus, ut oſtendat nomen Æterni Patris eſſe in Filio ac Spiritu Sancto, his utitur verbis: *Sed & ex Deo natum eſſe* (Chriſtum) *Joannes teſtatur. In ſua venit, & ſui eum non receperunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus, qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt.* Non de nihilo ortam S. Joannis Chryſoſtomi eandem pene dixerim phraſim, ubi videlicet Homilia in Matthæum altera hæc ſcripſit: *Διὰ τοῦτο διπλῆ γέγονεν ἡ γέννησις καὶ ἐοικυῖα ἡμῖν, καὶ ὑπερβαίνουσα τὴν ἡμετέραν. Τὸ μὲν γὰρ*

 ἐκ-

ἐκ γυναικὸς γεννηθῆναι, ἡμῖν συνέβαινε. Τὸ δὲ μὴ ἐξ αἵματος, μηδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς ἢ σαρκὸς, ἀλλ᾽ ἐκ πνεύματος ἁγίου, τὴν ὑπερβαίνουσαν ἡμᾶς, καὶ τὴν μέλλουσαν προαναφωνεῖ γέννησιν, ἣν ἡμῖν ἔμελλεν ἐκ πνεύματος χαρίζεσθαι. *Ideoque duplex* (Chriſti) *generatio fuit; & quæ ſimilis noſtræ eſſet, & quæ noſtram exſuperaret. Etenim ex muliere naſci nobis competit; naſci autem non ex ſanguine, non ex voluntate viri & carnis, ſed ex Spiritu Sancto, generationem nos exſuperantem & futuram prænuntiat, quæ ex Spiritu nobis concedenda erat.* Tomo VII. pag. 22. Edit. Maur. Clarius tamen Joannes Damaſcenus Lib III. de Fide Orthodoxa Cap. I. Edit. Michaëlis noſtri Lequien, his verbis: καὶ, ὁ λόγος σάρξ ἀτρέπτως ἐγένετο, ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς ἁγίας ἀειπαρθένου, καὶ θεοτόκου. καὶ, μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων χρηματίζει, ὁ μόνος φιλάνθρωπος, οὐκ ἐκ θελήματος, ἢ ἐπιθυμίας, ἢ συναφείας ἀνδρὸς, ἢ γεννήσεως ἐνηδόνου, ἐν τῇ ἀχράντῳ μέτρα τῆς παρθένου συλληφθεὶς, ἀλλ᾽ ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ τῆς πρώτης τοῦ Ἀδὰμ γενέσεως. *Quocirca Verbum caro abſque ulla mutatione de Spiritu Sancto, & Sancta Maria ſemper Virgine Deique Genitrice factum eſt: Deique & hominum mediator exiſtit ſolus ille in homines benigniſſimus, non ex voluntate, aut concupiſcentia, aut congreſſu viri, aut generatione cum voluptate conjuncta, intemerato Virginis utero conceptus, ſed de Spiritu Sancto, ac prima illa Adami productione.* Hæc loca, ſi aliquantulum illuſtrentur, optimam afferre videntur poſſe univerſo Commentario noſtro lucem. Quid tandem ſi laudatorum Patrum allegationibus apertiſſimum ac pulcherrimum addam Auguſtini teſtimonium, in quo locus ille Joannis, juxta Tertullianæam Lectionem clare, evidenter, ac mirifice producitur? Habes illud in Libro Confeſſionum VII. Cap. 9. ubi Sanctus Pater, ſe plurima

in

in Platonicorum Libris inveniſſe ait, Doctrinæ Chriſtianæ conſentanea, quæ Æterni Verbi Divinitatem proderent, tametſi non ita ejuſdem Incarnati humilitatem: & ita fatur: *Et primo volens oſtendere mihi, quam reſiſtas ſuperbis, humilibus autem des gratiam, & quanta miſericordia tua demonſtrata ſit hominibus via humilitatis, quod Verbum tuum caro factum eſt, & habitavit inter homines: procuraſti mihi per quendam hominem, immaniſſimo typho turgidum, quoſdam Platonicorum Libros ex Græca Lingua in Latinam verſos; & ibi legi, non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in eo, vita eſt, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima, quamvis teſtimonium perhibeat de lumine, non eſt tamen ipſa lumen, ſed Verbum Dei Deus eſt, lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. Quia vero in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, non ibi legi. Item ibi legi, quia Deus Verbum, non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate Viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt; ſed quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, non ibi legi.* En monumentum Sole clarius, ac evidentia ipſa evidentius; quod non tempus edax, non Editor impotens auſus eſt diruere; monumentum, inquam, quod nullum Barzani effugium, nullus Rigal-

 tianus,

tianus, aut Priorianus poterit abolere temerator. Statuitur hac ex allegatione Verſio Africana, jam olim Tertulliani tempore in uſu habita, nondum Auguſtini ætate antiquata. Noſcitur ex Hipponenſis citatione Lectio Codicis a Vulgato diverſi, in tempore exſcripta: nec enim ad ſenſum, aut memoriter Joannis verba is allegaſſe dicendus eſt, qui Evangelicam doctrinam *non quidem his* (quæ citat) *verbis*, ſed aliis loquendi modis, Platonicorum in Scriptis ſe inveniſſe teſtatur. Deinde quum cetera prioris Capitis Joannis commata ex Codice Chriſtianorum, ſeu ex phraſi Evangelica citet; illud etiam comma, quod in quæſtione eſt, non quod ad ſenſum pertinet, verum potius quod ad verba ipſa ſpectat, allegaſſe nemo dubitabit.

Dixeram in Diſſertatione *de Loco Joannis aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto*, Tertullianum Lectionem hauſiſſe ab aliquo probato tunc temporis Exemplari, quod, antiquiſſimi inſtar Veronenſis Codicis Evangeliorum adhucdum reliqui, ita legeret: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt*. Acutiſſimus Barzanus animadvertit, apud Tertullianum non legi *ex ſanguinibus*, ſed *ex ſanguine*. Rurſus priore ejuſdem Septimii teſtimonio, nempe cap. 19. *non ex ſanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, ſed ex Deo natus eſt*; poſteriore vero, nempe cap. 24. *non ex ſanguine, neque ex carnis & Viri voluntate, ſed ex Deo natus eſt*; quæ quidem ſunt, ut ait, diverſa, & ſi non intra, extra mutata certe, ſed leviſſime, ut fatetur, & abſque ullo ſenſus detrimento. *At* (ſubdit pag. 42.) *cuſtos fidelis, rigiduſque corticis ſatelles, quot ſunt in in Bibliis etiam Latinis Literæ, tot ſacramenta reputans, modum hunc citandi religioni duceret*. Quare, ſimi-

ſimilibus exemplis, quæ variationes tantum in litterulis aut ſyllabis repræſentant, pergit demonſtrare, haud ita infirmi timidique animi fuiſſe Tertullianum, ut divina Oracula paulo aliter, quam in Codicibus proſtant, in Adverſarios recitare piaculum judicaret. Si teſtimonium Damaſceni vidiſſet vir doctus, exemplis confirmatam credidiſſet abs ſe adoptatam doctrinam illam de Patribus explicationes ſuas verbis Scripturarum immiſcentibus, aut nonnulla omittentibus, aliqua etiam adjicientibus: unde credi poſſet, actum de veteri illa apud Patres Lectione vel in Codicum corruptiſſimo ſomnianda.

Fallitur ille tamen, ut ego arbitror, vehementer, haud diſtinguens primum, inter alluſiones, atque citationes, interque diverſitates Lectionum, ſi ita loqui fas eſt, eſſentiales ſubſtantialeſque, & accidentales varietates. Non omnis ex Scriptura mutuata phraſis, citatio eſt; verum ex emphaſi, verbiſque Scriptoris, ex modo quo Sacra verba legimus expoſita, an aliquis tunc recitetur textus, non ſponte cœcutienti patet per ſe. Illa laudatorum Patrum, *Sic enim ſcriptum eſſe contendunt*: *Et quid utique tam exaggeranter inculcavit: Sed & ex Deo natum eſſe Joannes teſtatur*: *Ebioni reſpondit*, & ſimilia; quid aliud, obſecro, oſtendunt, niſi manifeſtam citationem? Haud ita, fateor, res ſe habet, ubi tantum fit alluſio; aut ubi conſulto ex Scripturæ verbis ac ſententiis tertium quid contexitur, uti in Agiographica olim Veterum Rapſodia; aut expreſſa in Paraphraſi, in qua Gregorius Neocæſarienſis apud Græcos, apud Latinos Titelmannus excelluerunt maxime. Sed id ad noſtram non pertinet Quæſtionem; licet, uti vidimus, diverſa adeo inter ſe fuerint Sacra Veterum Exemplaria, ut alluſio, addi-

tio,

tio, prætermiſſio, Paraphaſis etiam nobis nunc eſſe videatur, quod olim pura putaque omnino erat aliquando Codicis alicujus, aut plurium Lectio. Denique, non omnis mutatio dici poteſt nova Lectio; ſuntque Clariſſimi Scriptores, qui diverſitatem Lectionum ex ſola ſenſus diverſitate repetendam ducunt; aut ſaltem nonnulli ſunt Variantium Collectores, qui hujuſmodi tantum in Syllogis recenſent. Has appellare poſſumus eſſentiales, vel ſi placet, formales, ſubſtantialeſque Lectionum diverſitates; quæ ex oppoſito in ſyllabarum aut Litterarum permutatione ſitæ ſunt, accidentales Varietatulæ. Ut-ut igitur accidentalibus hiſce, & nihili, ut ita dicam, diverſitatibus, aptare ſuorum velit Criticorum doctrinam Barzanus; non quadrat illa tamen Lectionibus quæ ſenſum mutant, uti ea eſt, de qua ſit ſermo præſens. Non enim ſit tranſitus ab adoptiva filiatione multorum ad filiationem adoptivam unius, ſed a ſpirituali Credentium regeneratione ad generationem æternam Verbi, quæ infinitum diſtant. Itaque quum adeo impudentes Patres credendi nullo modo ſint, ut verba ſe oſtendentes referre Spiritus Sancti ac Evangeliſtæ, aliter tamen adeo referant, ut ſenſum demum mutent, ac infinita diverſitate mutent; conſequitur procul dubio, ex Codicibus ita olim legentibus illos, ſi non præciſe verba, ſententiam tamen, in qua diverſitas vera Lectionis ſita eſt, ac ſenſum ſaltem derivaſſe.

Hoc tamen opus, hic labor eſt, reſpondet Adverſarius, oſtendere primum ſcilicet, Patres illos ita, uti ego arbitror, legiſſe. Itaque laborat valde, ut Lectionem Joannis illam *natus eſt* a Valentinianis inventam fuiſſe evincat; dein eoſdem Hæreticos fuiſſe contendit Sacrorum Textuum Corruptores; quod tamen adverſus Tertulliani mentem videri non inficiatur,

tur, qui ſenſum, tametſi non Litteram, Valentinum corrupiſſe queritur. Nec profecto is erat Tertullianus, qui facile Corruptoribus Scripturarum parceret, ut abunde ex acerrimis ejus patet adverſus Marcionem querimoniis. Haud movit vero doctum Virum, allatum a me altera in Diſſertatione Morini doctiſſimi effatum; Verſionibus nempe ab Hæreticis elaboratis utiliter ac jure optimo uſos eſſe Sanctos Patres, ut *ad hominem* ac fœlicius digladiari cum ipſis poſſent. Sed Morino adjungendus eſt Chriſtoforus Matthæus Pfaffius in diſſertatione *de variis Novi Teſtamenti Lectionibus*, cujus in Capite XII. hunc inter reliquos ſtatuit relate ad eaſdem Canonem: *Lectiones, in Evangeliis ſpuriis, & Hæreticorum Libris exſtantes, non omnino rejiciendæ; cum aliquando genuinam Librorum Novi Teſtamenti Lectionem oſtendant*. Effato inde confirmando plurima affert, eaque apertiſſima exempla. Ceterum duo adfirmat illuſtris Adverſarius, quibus ego ſubſcribere non valeo. Alterum eſt, quod cum Rigaltio, &, qui eum imitatur, Priorio, legendum contendat apud Tertullianum *nati ſunt*, non *natus eſt*; idemque apud Vigilium Tapſenſem velit juxta recentiorem Maurinam editionem; quo ex falſiſſimo principio mirifica inde ſibi fingit ratiocinia. Alterum, quod ſi legere apud Septimium velimus *natus eſt*, concipere minus valeamus, quæ ſubinde in contextu ejuſdem orationis ſequuntur.

Ego igitur ſic breviſſime: Interpretes celebriores Tertulliani, aut qui illo de loco aliquid dixerunt, Laurentius de la Barre, Rhenanus, Pamelius, Joannes Ludovicus de la Cerda, Grabius, doctiſſimi reliqui, Caput illud XIX. Septimii adverſus Valentinianos præconceptum habent incipere reipſa: *Quid eſt ergo: Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex volun-*

voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt. Quo itaque arcano fultus MS. quo venerandæ antiquitatis, ac probatæ fidei fultus Exemplari audet Rigaltius immutare ac legere: *Quid eſt ergo: Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt? Sic enim ſcriptum eſſe contendunt: Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*. Debebat in Adnotationibus certe Exemplar deſignare aliquod, aut validum ſaltem & quod MSS. editorumque fidem Codicum ſuperaret argumentum, quare a receptiſſima, imo evidentiſſima Lectione recedendum duceret. An ignorare ſemidoctus etiam poteſt, quantas adverſus Rigaltianam hanc methodum fecerint doctiſſimi Viri expoſtulationes? Ita Clericus quæſtione inter Hieronymianas IX. *Edidit olim Lutetiæ Opera Tertulliani Vir doctiſſimus Nicolaus Rigaltius, & meminit quidem MSS. Codicum, ex quibus ſingulos Libros emendarat; ſed quia in Notis rariorem mentionem fecit variarum Lectionum, ſibique hoc ſumſit, ut judicium ſolus de iis ferret, admiſſa in contextum ea, quæ optima videbatur, ſine ulla admonitione, multis Eruditis labor ejus minus placuit, & etiamnum hodie non pauci queruntur de Dictatoria auctoritate, quam ſibi ipſe attribuit, ſine cujuſquam conſenſu*. Ac ſane ſunt loca in Tertulliano, quæ emendatiora in prioribus Editionibus corrupiſſe videri queat ex deterioribus Codicibus; quæ inter nullus dubito Lectionem eſſe, qua de agimus, ſeu *nati ſunt*, veræ ac genuinæ incredibili audacia ſuppoſitam. Idem Clericus de Apologetico Tertulliani loquens, ſtudio & opera Sigiberti Havercampi edito, Tomo Bibliothecæ Novo-Antiquæ XV. pag. 126. prolixiorem quandam memorans additionem, hæc ſcribit: *Il eſt ſurprenant, que Regault, qui avoit vû la Collation*

du

Digitized by Google

du MS. de Fulde, dont il s'eſt ſervi ailleurs, n'ait rien dit d' une addition ſi longue, & ſi conſiderable. Mais cet habile homme a fait d' autres fautes dans ſon Edition de Tertullien; comme celle de corriger quantitè d' endroits ſur ſes MSS. ſans en faire mention dans ſes Notes; ou il auroit du au moins rapporter les Leçons des autres Editions, afin qu' on en vit la difference. Idem de homine judicium profert vel inter Orthodoxos Petrus Belheſtrus in Libro de optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo, Parte II. Cap. 7. ſcribens: ***Rigaltius vir apprime doctus, ſed alieni conſilii impatiens, Tertulliano & Cypriano ſuppoſuit quidquid ſuæ ſatisfacere videbatur pruriginì miram ubique Eruditionem oſtentandi, parum attento Auctorum, quos vulgabat, proprio legitimoque ſenſu.*** Sequutus quidem eſt Rigaltii Lectionem, qua de agimus, Priorius; verum, nec de ipſo melius ſentiunt emunctioris naris Critici. ***Philippe le Prieur,*** ait Clericus Bibliothecæ Antiquæ ac Hodiernæ Tomo XIX. p. 367. *qui a eu ſoin de l'Edition de quelques Peres à Paris, ramaſſoit des mauvaiſes notes de diverſes endroits; aux quelles il en joignoit de ſa façon, qui ne valoient pas mieux.* Deinde Priorianam Tertulliani editionem, nonniſi iteratum Rigaltii laborem eſſe, vix aliquibus ad calcem additis Pamelii notis, obſervarunt Eruditi (Ephemerid. Erudit. Pariſ. MDCLXVI.) Quare nullum Rigaltianæ novitati pondus ex hujuſmodi conſenſione accedere, nemo non videt. Flocci igitur facimus hanc arbitrariam vere, tumultuariam, ac temerariam, nullo nixam fulcro, & contra Contextum, Rigaltii ac Priorii Lectionem.

Latinus revera Latinius, qui poſt Pamelii laborem, nonnullas Tertulliani maculas, ut ipſe fatetur, emendandas ſuſcepit, & ea quæ ſibi aliter commodiore vel ſententia, vel numero legenda videbantur, fœliciſſime reſti-

reſtituit, Pamelianam, videlicet communiſſimam Lectionem *natus eſt*, in Septimio reliquit. Quare colligamus, hanc ab ipſo ad Contextum Florentis abſolvendum neceſſariam judicari: quod idem, ne dicta repetere cogamur, de Lectione Auctoris Dialogorum de SS. Trinitate ſentiendum. Ubi enim in Editionibus Frobenii anno 1556. & Epiſcopiorum anno 1564 apud Toletum, alioſque doctiſſimos ſcriptores legimus *natus eſt*; in editione Monachorum S. Mauri exhibetur contra ſenſum, contra contextum lectio *nati ſunt*, nullo ſubjecto hac diverſa de interpretatione monito. Barzanus ipſe qui hanc Lectionem cuperet vehementer veram eſſe, haud potuit ſe tamen continere, quin de arbitrio veluti Editorum quereretur. Pag. ſiquidem 27. Epiſtolæ ſuæ ita ſcribit: *Unde laudandi quidem Editores, quod in admonitione, Libris de Trinitate præfixa, multas in Contextum ex MSS. invectas eſſe mutationes & additiones, quæ tamen in Athanaſianis editis non comparent, Lectorem monuerunt; majore tamen digni laude, ſi, quæ Athanaſii extant, ejuſque nomine circunferuntur, notis & variis Lectionibus illuſtrare polliciti, hunc alicujus momenti locum non omnino tranſiliiſſent*. Arbitror eos deceptos aut anticipata opinione Vulgatæ Lectionis, aut nimio erga eandem ſtudio. Plurima in medium afferri poſſent hujuſmodi non ſecundum ſcientiam Zeli funeſtiſſima exempla; de quibus etiam ſuperiori in Parte diximus: nam & inſigne refert noſter Pius Thomas Milante in Præfatione Bibliothecæ Sanctæ Siſti Senenſis abs ſe adauctæ illuſtratæque; ubi Joannem Hayum, ejuſdem Siſti olim Editorem, exiguæ ſinceritatis, aut tenuis ſaltem judicii poſtulat, quod Vulgatæ Lectionis textum, qualem hodie correctum a Pontificibus habemus, ille in editionem ſuam Bibliothecæ Sanctæ, malis avibus, intruſerit, eraſis Vulgatæ Editionis Lectionibus, quæ conſueta & pervia erat tempore Senenſis. Qui-

Equidem nec iſtis artibus, nec defenſoribus iſtis indiget Eccleſia. Quale, obſecro, puſillis etiam ſcandalum ex diverſa Lectione apud Tertullianum, ac Auctorem Dialogorum, quorum Opera vix inter decies hominum centena millia unus eſt qui legat? Hoc ex inconſiderato ſtudio, hac ex tenuitate animi, anſa inde data Rivetis, Dallæis, Cavæis vituperandi noſtros Patrum Editores, quos ajunt, Veterum opera, ubi non plane jugulaverint, ſaltem membris inhumanius mutilaſſe, quaſi alterum apud Poëtam Deiphobum

Lacerum crudeliter ora,

Ora manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Revera, aut fide digna erant, quibus recentes iſti Editores utebantur, Exemplaria, aut talia ex oppoſito, quæ pudebat denique citare. Si probatæ fidei; cur non adduxere? Si ſubleſtæ; fas illis non erat receptiſſimam mutare Lectionem. Næ, ſi nimii fuerunt in detrahendo Proteſtantes, illa ſaltem agendi ratione idoneam, imo maximam Editores iſti anſam Germonianis ſuſpicionibus dederunt.

Facile vero ut percipiat quiſque, Rigaltium, ceteroſque qui Opera illa in publicum educere iterum curarunt, plebis conciliandæ, aut vani timoris depellendi cauſſa, germanum corrupiſſe textum; mecum animadvertat primum, quid agat, quid ſibi velit illo in Capite Septimius. Nempe adverſus Valentinianos pugnat. Quis eorum, juxta Tertullianum, omneſque omnino Patres, error? Quod non ex Virgine, ſed per Virginem natum Chriſtum edocerent. Libro de Præſcriptionibus adverſus Hæreticos Cap. 49. ſcribit Septimius, Valentinum aſſeruiſſe, *Chriſtum quaſi per aquam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe, nihil inde accipientem, vel mutuantem*. Idem quoque refert ille in ſuo adver-

adverſus Valentinianos Libro, uti & Irenæus, Vigilius, Epiphanius, Auguſtinus, Honorius, Iſidorus, alii ſexcenti. Inauſpicatam igitur hanc ſententiam everſurus Tertullianus, orationem auſpicatus videtur ab eo textu, quo ipſi abutebantur, ut per Virginem, non ex Virgine ortum Chriſtum propugnarent. Nam Valentianos lectionem *natus eſt* fuiſſe ſecutos, conjicere poſſumus ex eodem Tertulliano qui de Carne Chriſti Cap. 15. inquit: *Nam ut penes quemdam ex Valentini factione legi; primo non putant terrenam & humanam Chriſto ſubſtantiam informatam, ne deterior Angelis Dominus deprehendatur, qui non terrenæ carnis extiterunt. Dehinc, quod oporteret ſimilem noſtri carnem ſimiliter naſci, non de Spiritu, nec de Deo, ſed ex Viri voluntate.* Haud ergo abſurde dixeris, Valentinianos ita illud legiſſe de Divino Filio teſtimonium: *Non ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt.* Scribit itaque Septimius: *Quid ergo*, nempe, mihi Valentiniane objicis? *Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt.* Si enim legas *nati ſunt*, rogo, quid facit ille Textus ad Valentinianorum cauſſam? Quid colligere ex illo poterant? Cur nihil conſentaneum, nihil Lectioni *nati ſunt* accomodatum, in univerſo ſubjicit Capite ac Libro Tertullianus? Quid in tali cauſſa & errore Valentinianorum prodeſſe, aut obeſſe poterat Vulgata Lectio? Ex oppoſito vide, quam recte omnia cohæreant, ſi juxta Rhenanum, Pamelium, Grabium, ceteros ſinceros Editores, legas: *Quid eſt ergo: Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt? Hoc quidem Capitulo ego potius utar, quum adulteratores ejus obduxero. Sic enim ſcriptum eſſe contendunt: Non ex ſanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, ſed ex Deo natus eſt.* Animadverte

hic

hic Septimium non tonare, non declamare, non librare verborum fulmina, uti adverſus manifeſtos facere Scripturarum Corruptores ſolet; ſed contentum eſſe, contra morem certe, illis vocibus: *Sic enim ſcriptum eſſe contendunt*. Nempe, ut alias dixi: hanc enim ſolam ipſi Lectionem admittendam eſſe contendunt; ſecus legi nolunt; aliter verti non ſinunt. Quare videas minus receptam quidem, neque profecto conſecratam; receptam aliqualiter tamen, ac veluti permiſſam inferri poſſe illam Lectionem. Proſequitur Tertullianus: *Quaſi ſupradictos Credentes in nomine ejus deſignet, ut oſtendat eſſe ſemen illud arcanum elelectorum & ſpiritualium, quod ſibi imbuunt*. Videlicet: hoc enim etiam teſtimonio utuntur Valentiniani, ut ex ſemine ſpirituali Credentes ortos evincant, ea ratione, qua Chriſtus ipſe. Hoc autem Valentinianorum deliramentum jam memoraverat Tertullianus Libro adverſus Valentinianos De Credentibus Cap. 25. his verbis: *Inerat autem in Achamoth ex ſubſtantia Sophiæ matris peculium quoddam ſeminis ſpiritalis: ſicut & ipſa Achamoth in filio Demiurgo ſequeſtraverat, ne hoc quidem gnaro. Accipe induſtriam clandeſtinæ providentiæ hujus. Ad hoc enim & depoſuerat, & occultaverat, & quum Demiurgus animam mox de ſuo adflatu in Adam communicaret, pariter & ſemen illud ſpiritale quaſi per canalem animam derivaretur in choicum: atque ita fœturarum in corpore materiali, velut in utero, & adultum illic, idoneum inveniretur ſuſcipiendo quandoque ſermoni perfecto. Itaque quum Demiurgus traducem animæ ſuæ committit in Adam, latuit homo ſpiritali flatu inſertus, & pariter corpori inductus, quia non magis ſemen noverat matris Demiurgus, quam ipſam. Hoc ſemen Eccleſiam dicunt, Eccleſiæ ſupernæ ſpeculum, & hominis cenſum &c.* De Chriſto Cap. 27. *Fuiſſe autem*

O &

& in Chriſto etiam ex Achamoth ſpiritalis ſeminis condimentum, ne marceſceret ſcilicet reliqua farſura. Voluit igitur ſuperioribus verbis ſignificare Septimius: Quaſi illo teſtimonio probaretur, Chriſtum non ſumſiſſe carnem ex Virgine, ſed hanc ex ſemine illo ſpiritali derivaſſe, ex quo, Valentinianorum opinione, efformati ſunt Credentes in nomine ipſius.

Animadverſionem hanc confirmatam reperio in adnotatione Cl. Viri P. Joannis Ludovici de la Cerda, qui hiſce Tertullianæam Lectionem illuſtrat, ac tuetur: *Quum dixerit* (Septimius) *adulteratores Scripturæ hæreticos, & nunc dicat*, ſcriptum eſſe contendunt, *& Lectio ipſa*, ex Deo natus eſt, *inaudita ſit, & in nullo Codice ſimilis reperiatur; tenaciter Pamelius tenet, atque Junius ad Cap. XX. hanc Lectionem eſſe corruptam, & Hæreticorum quos citat, non ipſius Tertulliani. Ego contrarium penitus ſtatuo, & Lectionem eſſe Tertulliani, & non dignam reprehenſione, ſed tantum explicationem Valentinianorum. Probo itaque eſſe Tertulliani tribus indiciis ſolidiſſimis. Primo, quia ſi Hæreticis eam Lectionem tribueret, magis tribuenda eſſet,* ex Deo nati ſunt, *quam alia; id enim roborat illorum ſententiam de ſemine ſpirituali Credentium. Hoc ferme evidens eſt. Deinde eſſe Authoris Lectionem patet, quum dicat*: adeo ſingulariter, ut de Domino ſcriptum eſt, ex Deo natus eſt, nempe Chriſtus. *Tertio, quia non ita ſolitaria eſt Lectio, o Pameli. Nam ſcias in Athanaſio eſſe Lib. II. de propriis Perſonis ad Theophilum; adducto hoc loco, ita finit*, ſed ex Deo natus eſt; *quæ pars Athanaſii Græco caret, quod doleo; & Irenæus Lib. III. Cap.* 21. Qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri natus eſt. *Itaque Lectio hæc non eſt contemnenda, quæ textum faciliorem reddit, nempe: Dedit poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt*

dunt in nomine ejus, qui filius Dei naturalis eſt, & verus, & non natus ex voluntate viri, ſed ex Deo, & non ex ſanguinibus &c. qui Chriſtus eſt, & verbum caro factum. Quaſi dicat, qui credunt in filium Dei naturalem, & verum, filii etiam fiunt Dei. Hactenus de la Cerda in ſuis ad Tertullianum Adnotationibus Tomo II. Lib. 4. De Carne Chriſti Cap. XIX. pag. 506. Cujus teſtimonium iccirco retuli, ut rationem Tertullianæi argumenti, & orationis contextum animo complectaris; nempe, alludere tunc Tertullianum videas ad opinionem Valentinianorum, qui eadem ratione Chriſtum & Eccleſiæ membra, ſeu Credentes ex ſpiritali ſemine ortos arbitrabantur. In nullo reperiri Sacro Codice Lectionem *natus eſt* credebat de la Cerda, ideoque explicationem dixit ſententiæ Valentinianorum; ſecus profecto definiturus, ſi Veronenſem cognoviſſet Codicem, ſi Exemplarium veterum copiam ac diverſitatem, ſi non omnes exploratas eſſe variantes animadvertiſſet. Proſequamur enarrare tamen textum Tertulliani, ne jure videatur ſcripſiſſe illuſtris adverſarius nos fruſtra, niſi Rigaltii Lectioni adhæreamus, ſperare, fore, ut quid ſenſus integri ac plani ex Auctoris oratione progrediendo extundatur.

Subdit igitur Septimius: *Quomodo ita erit, quum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani, ex ſanguine, & ex carnis, & ex viri voluntate naſcantur?* Ideſt: Quomodo ex hoc evinces, o Valentiniane, Chriſtum ex matre ſua carnem non ſumſiſſe, quum, tua etiam juxta principia, tuamque ſecundum doctrinam, omnes qui credunt in nomine Domini, Credentes omnes qui Eccleſiam conſtituunt, etiamſi ex ſemine ſpiritali ſint, adhuc tamen, te fatente, communi lege generis humani, inſtar ceterorum hominum non Credentium, ex ſanguine adhuc, & ex

Digitized by Google

eminis, quam conſtat ſanguinis eſſe calorem, ut deſpumatione mutatum in coagulum ſanguinis feminæ. Nam ex coagulo in caſeo vis eſt ſubſtantiæ, quam medicando conſtringit, ideſt lactis. Intelligimus ergo ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod ſapit voluntas viri, non ex vulvæ participatione. Et quid utique tam exaggeranter inculcavit, Non ex ſanguine, nec ex carnis voluntate, & viri natum, *niſi quia erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret? Negans porro ex concubitu, non negavit ex carne, immo confirmavit ex carne; quia proinde negavit ex carne, ſicut ex concubitu negavit.* In hac porro orationis ſerie quid non apertum ac planum? quid non ordinatum ac ſolidum? quid non accommodatum Lectioni *natus eſt?* In hac Oratione, hoc univerſo in Contextu, quis aliquid invenire poterit quod reſpondeat Lectioni *nati ſunt?* Certe aliquomodo, aut aliquando interpretatione indiget Tertullianus, ut intelligatur. Verum, quid de Scriptore facias, qui, ut magni Critici verbis utar, *ſe ſert d'un ſtyle ſi etrange, & ſi bardi, qu'il eſt plus difficile d'y radreſſer les fautes des Copiſtes, qu'il ne l'eſt dans les Auteurs, qui ont parlè conformement au meilleur uſage. Il faut marcher avec beaucoup de precaution, par les detours d'un ſtile Africain, & n'y toucher qu'aprés s'y etre accoutumé par une Lecture tres-attentive de cet Auteur; & encore at-on ſujet de propoſer ces reſtitutions, en doutant, & en ſe remettant entierement au jugement des plus habiles, ou à la deciſion des Manuſcrits meilleurs que ceux que nous avons, ſi l'on en pouvoit trouver.* (Biblioth. Anc. & Mod. Tom. XV. p. 103.) Quæ tamen ſalebras Tertullianææ phraſeos reſpiciunt, quam enarrare nos fategimus, non ſacrarum Lectionum factam ab ipſo citationem. Ut-ut vero interpretatione aliqua indigere videantur priora il-

Digitized by Google

lius Capitis Tertulliani verba; ut-ut alio ea quis trahere conetur : peremtorium in rem certe noſtram argumentum exhibent ea quæ Septimius ſubjicit : *Et quid utique* [intelligitur Joannes, aut Spiritus Sanctus] *tam exaggeranter inculcavit, non ex ſanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri natum, niſi quia erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret?* Hæc ita cum Rigaltio, & Priorio legenda fatetur Barzanus. Si tam exaggeranter Evangelium, aut Joannes verba illa inculcavit; itaque reapſe aliquibus probatis etiam in Codicibus ætate ſua legebatur,

Niſi mihi una, ac Lectori moleſtias minuere operæ pretium ducerem, ex Contextu Auctoris Dialogorum de SS. Trinitate, eadem prorſus ratione qua mox ex Contextu Tertulliani, demonſtrarem, communem probatamque, idoneam, imo neceſſariam Lectionem *natus eſt*, apud ipſum retinendam. Verum quum id evincere Lector per ſe ex Lectione poſſit ipſa; ſi forte pertinax ſit, nec Toleto credat, Lacerdæ, præſtantiſſimiſque Editoribus, obſcuram prætermitto, ut mihi videtur, diligentiam. Neque enim mihi cura de iis debet eſſe, qui *par une mauvaiſe Politique, mêlée même de je ne ſai quoi de ſi ſervile, qu'on a de la peine à le ſouffrir,* quamcumque in humano genere univerſo præfocatam cuperent ingenuitatem. Ex iteratis multorum citationibus (ſi dato Canoni ſtandum ſit) eruitur, Lectionem illam *natus eſt*, non temere fuiſſe effictam, ſed antiquiſſimis ab Exemplaribus erutam ac derivatam. An vero ea uſi Patres fuerint ad magni momenti aliquid inculcandum ac evincendum (qui alter Canon eſt, ut Lectionem ex Codice deſumtam inferamus) enodatis Barzani argumentis, palam, uti ſpero, ſatis faciemus.

CA-

CAPUT V.

Quæ pro arbitraria apud Tertullianum laudati commatis Lectione feruntur argumenta ſolvuntur, enodantur, evertuntur penitus.

ALter Tertulliani locus Libro de Carne Chriſti, Capite ſcilicet 24. aperte adeo ac evidenter Lectionem poſtulat, *natus eſt*, & ita legitur in editionibus etiam Priorii ac Rigaltii, ut ad arbitrarias vere ſuppoſitiones confugere coactus fuerit Adverſarius, quibus temere contextam illius citationem perſuaderet. Ait Tertullianus: *Ideo Marcionem proſpiciens* (Spiritus Sanctus) *Ego ſum, inquit, Deus, & alius abſque me non eſt. Et cum in alio idipſum eodem modo dicit: Ante me Deus non fuit: neſcio quas illas Valentinianorum Aeonum genealogias pulſat. Et, Non ex ſanguine, neque ex carnis, & viri voluntate, ſed ex Deo natus eſt, Ebioni reſpondit.* Nullam hoc in textu vim, nullam in verbis, *inquit*, *dicit*, *reſpondit*, emphaſim videt Barzanus. Quid ad textum tamen? Ait, Tertullianum, illo in Libro, ictum quidem in Ebionem intendere, ſed παρέργως: neque enim per Librum de Carne Chriſti bellum fuiſſe huic Hæretico indictum: qui directe petebantur, fuiſſe Marcionem, Apellem, &, licet multo parcius quam ceteros, Saturninum, ac potiſſimum Valentinum ejuſque aſſeclas: fieri igitur facile potuiſſe, Tertullianum tunc in adverſarium, qui cominus, & extra arenam verſabatur, diſputantem, arma ex Valentinianorum, quorum major tunc ratio

habenda erat, Verſione deſumta commutare noluiſſe; quare Valentiniani, ad quos, velut ad unam lineam, ut ipſe loquitur, congreſſionem direxerat, nulla poſſent ratione reclamare.

Verum, aut ego vehementer fallor, aut adæquata, ſi hoc uti verbo fas eſt, non videtur hujuſmodi diviſio Libri, & delineatio mentis Tertulliani. Septimius ſiquidem in illo de Carne Chriſti Libro, univerſas, quæ ea de re circumferebantur, Hæreſes ſibi proponit debellandas. Inprimis Scripti occaſionem ſignificat; quod ſcilicet, qui Reſurrectionis fidem, ut verbis ejus utar, inquietarent, carnem etiam Chriſti quæſtionibus diſtraherent. Ad inſtitutum autem properans, adverſus Marcionem, qui ejus Hiſtoriam ex Evangelio auferebat, Traditionis Apoſtolicæ præſcriptione Chriſti nativitatem probat: deinde eam neque impoſſibilem, aut inconvenientem, neque Deo indignam, aut ſtultam fuiſſe evincit. Non itaque in phantaſmate, ſed vere crucifixum ac mortuum (quantumvis etiam id negaret Marcion) vere quoque natum Chriſtum oſtendit. Jam adverſus Apellem deducit, Chriſtum de ſideribus & ſubſtantiis ſuperioris Mundi carnem haud derivaſſe: interſerit, nil pro illis facere illud Chriſti: *Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?* Addit, Angelum illum igneum Apellecianorum ſecundum eos etiam cæleſtia ex pœnitentia delicti inſtituiſſe: Et vero, omnia veræ carnis ſigna in Chriſto fuiſſe. Rurſus, adverſus quoſdam alios Hæreticos, neque animalem fuiſſe Chriſti carnem adſtruit, neque etiam carnalem: veniſſe Chriſtum, non ut anima ſeipſam cognoſceret, ſed ut ipſam ſalvam faceret: fuiſſe item in Chriſto diverſas ſubſtantias, carnem, & animam: ſolum Chriſtum fuiſſe ſalvificatorem, non Angelum. Adverſus autem Valentinum, Chriſti carnem non fuiſſe ſpiri-

ta-

talem oſtendere proſequitur; ſicut etiam adverſus Alexandrum quemdam, peccatricem non fuiſſe carnem Chriſti, & etiamſi non ex ſemine, veram tamen. Probat ex Scripturis Chriſtum ex Virgine naſciturum; non competere enim ex ſemine humano Dei filium naſci, ne ſi eſſet totus filius hominis, juxta Ebionis opinionem, haud crederetur filius Dei: Valentino non favere quorumdam Codicum Lectionem, *Non ex ſanguine, neque ex carnis voluntate, nec ex viri, ſed ex Deo natus eſt*. Porro, adverſus eoſdem, non per Virginem, ſed ex Virgine natum Chriſtum latiſſime ex Scripturis demonſtrat: Omnes Hæreticos, qui circa Chriſti Carnem peccaverunt, ſugillatos olim a Spiritu Sancto, prædictoſque ex Scripturis. Epilogo concludit Librum. Sunt hæc deducta ex Pamelio Tractatus de Carne Chriſti argumenta; quorum ex animadverſione plurima, ut arbitror, in rem deduci poſſunt noſtram manifeſtiſſima conſectaria.

Primo nempe, non obiter tantum, ſed data opera adverſus Ebionem digladiatur illo reipſa in Libro Tertullianus, quum univerſum Caput XVIII. ex recenſione Pamelii, in eo conſumat oppugnando. Hæretici quos obiter impetit hoc in Libro Septimius, *innominati*, ut ita dicam, ſunt, qui adfirmabant, *carnem Chriſti in Cælis vacuam ſenſu, ut vaginam, exempto Chriſto ſedere*; de quibus ipſe Cap. 24. & Pamelius in Notis: *Hunc abſurdiſſimum errorem qui adfirmaverint, quærat diligens Lector*. Ii ſunt, qui *carnem & animam tantundem, aut tantummodo animam, carnem vero non jam* cælos aſcendiſſe dicebant. Paſſioniſtarum, Seleucianorum, ac Hermianorum proprium fuiſſe hunc errorem aſſerit ex Philaſtrio in adnotationibus Pamelius. Adverſus innominatos hoſce, ſimileſque, dici poteſt obiter ſumſiſſe arma Tertullia-

nus

nus, qui quum magno adparatu Scripturam ipſe ſacram *jaculatam in ſugillatione Hæreticorum ipſorum* oſtenſurum ſe jactaret, nonne maximum debuiſſet ipſis Hæreticis ludibrium, ſi de verbis deque Scripturæ textu nullo modo ſollicitus fuiſſet? Num ſtipites erant, num cautes ejuſcemodi Hæretici; an potius veteratores de verbis atque ſyllabis parati etiam cavillari? Capite XXII. ejuſdem Libri, Chriſtum non per Virginem, ſed ex Virgine naſcendum, ex ipſis Evangeliſtarum ac Apoſtolorum verbis ſtatim oſtenſurum ſe ſignificat; & tamen cum Verſione noſtra haud convenit ejus Lectio. *Matthæus*, inquit, *fideliſſimus Evangelii Commentator, & comes Domini, non aliam ob cauſſam, quam ut nos originis Chriſti carnalis compotes faceret, ita exorſus eſt: Liber genituræ Chriſti filii David, filii Abraham ..... Retexens Apoſtolus promiſſionem benedictionis nationum in nomine Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes nationes*. Vel recitat tunc textus verba Tertullianus, vel verba verbis ſubſtituit? Si primum; itaque ex textu diſputat, ſed Verſione utitur, quæ non ſenſu, ſed exprimendi modo Lectionem habebat a noſtra diſſonantem. Si alterum; quomodo ita exorſum dicere poterat Matthæum, ita Apoſtolum loquutum? Quo tamen adhuc in caſu a noſtro diverſiſſimo non culpandus Tertullianus, ſenſum Scripturarum perfecte exprimens; ſecus ex oppoſito, ubi ſententiam continentem adoptivam filiationem verteret in ſenſum exprimentem generationem Verbi ſempiternam.

Alteram interpretationem ſuam in medium profert humaniſſimus Barzanus, ſcribens Tertullianum diverſa nonnumquam miſcere Scripturarum loca, quorum ex verbis tertiam aliquando compingit ſententiam, unius verba loci per alterius verba explicans;

quare

quare nil vetare debere ſubdit, quominus dicantur verba, *Non ex ſanguine, neque ex carnis, & viri voluntate*, ex Joannis I. 13. ducta eſſe; ſequentia vero, *ex Deo natus eſt*, ex ejuſdem Apoſtoli Epiſtola I. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt;* in tertiamque ſententiam utraque coaluiſſe. Ab iſtiuſmodi autem Scripturæ admixtione Patres, Tertullianum præſertim, & Irenæum, minime abhorruiſſe, exemplis confirmare contendit, ipſos animadvertens diverſis ex Evangeliis unam aliquando contexuiſſe ſententiam; quare concludit, nulla ratione ſequi, ipſos in locis, de quibus agimus, aliqua de Lectione referenda ſollicitos fuiſſe, ſed diſſeminata Bibliorum verba in unam coire feciſſe periodum ac ſententiam.

Quum nos vero de admixtionibus Evangeliorum ſatis dixerimus, ut arbitror, diligenter, de Lectione tantum Tertullianæa in præſens diſceptabimus. Tametſi autem concedere vellemus, SS. Patres aliquando ex diverſorum locorum Scripturæ verbis tertiam ſententiam compinxiſſe, haud ideo inferendum tamen crederemus, eadem ac ſimili ratione Lectionem, qua de agimus, contextam. Hanc ratiocinandi legem num. Diſſertationis ſuæ V. me probe docuit Barzanus. Siquidem probatur ipſi mirifice animadverſio Simonii ad Origenis teſtimonium de Exemplaribus Sacris olim vitiatis: *Il dit ſeulement en general, qu' il eſt conſtant, que les Exemplaires Grecs du Nouveau Teſtament ont été alterez en pluſieurs endroits, & qu' on en a des preuves evidentes. On ne doit pas inferer de la, qu' ils ayent été corrompus dans l' endroit, dont il eſt queſtion.* (Hiſt. Crit. N. T. P. III.) Quod ratiocinium Quæſtioni noſtræ ita Adverſarius accommodat: Ex quo diverſa fuerint aliquando inter ſe ſacra Veterum Exemplaria,

cratus fuiſſet Tertullianus? Ne, rogo, non neceſſarium concedamus hoc Socinianis nimis etiam inſoleſcentibus ſolatium.

Sane, quæ ſuperiore Libro diximus de Sanctorum Patrum vel erga ſacrorum Codicum apices diligentia, deque eorum adverſus Scripturarum corruptores querimoniis, quæque inde deduximus pro accurata eorum methodo in citandis Scripturis argumenta, peculiari quodam modo aptantur Tertulliano, & Lectioni præſentis Quæſtionis. Scilicet, vix elucidatis verbis, *Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*; ſtatim, inquam, litem maximam movet ipſe adverſus Valentinianos aliquos, ceu Scripturas ſacras immani auſu corrupiſſent, quod legerent, *quod in ea natum eſt*, non vero uti legebat ipſe, *quod ex ea natum eſt*. Vacat ejus referre verba, vim ut debitam noſtrum accipiat argumentum. Sic igitur Cap. XX. illius Libri de Carne Chriſti: *Qualis autem eſt tortuoſitas veſtra, ut ipſam* Ex *ſyllabam præpoſitionis officio adſcriptam auferre quæratis, & alia magis uti quæ in hac ſpecie non invenitur penes Scripturas ſanctas. Per Virginem dicitis natum, non ex Virgine, & in vulva, non ex vulva; quia & Angelus in ſomnis ad Joſeph: Nam quod in ea natum eſt, inquit, de Spiritu Sancto eſt; non dixit ex ea; Nempe tamen, etſi ex ea dixiſſet, in ea dixerat: in ea enim erat quod ex ea erat. Tantundem ergo & cum dixit, in ea, & ex ea conſonat: quia ex ea erat, quod in ea erat. Sed bene, quod idem Matthæus, originem Domini decurrens ab Abraham uſque ad Mariam, Jacob, inquit, generavit Joſeph virum Mariæ ex qua naſcitur Chriſtus. Sed & Paulus Grammaticis iſtis ſilentium imponit. Miſit, inquit, Deus filium ſuum factum ex muliere. Nunquid per mulierem, aut in muliere? Hoc quidem impreſſius,*

Digitized by Google

preſſius, quod factum potius dicit, quam natum. Factum autem dicendo, & Verbum caro factum eſt, conſignavit, & carnis veritatem ex Virgine factam adſeveravit. Nobis quoque ad hanc ſpeciem Pſalmi patrocinabuntur, non quidem apoſtatæ, & hæretici, & Platonici Valentini, ſed ſanctiſſimi, & receptiſſimi Prophetæ. David ille apud nos canit Chriſtum, per quem ſe cecinit ipſe Chriſtus. Accipe Chriſtum, & audi Dominum Patri Deo colloquentem: Quia tu es qui avulſiſti me ex utero matris meæ. Ecce unum. Et ſpes mea ab uberibus matris meæ, ſuper te ſum projectus ex vulva. Ecce aliud; & ab utero matris meæ Deus meus es tu. Ecce aliud. Nunc ad ſenſus ipſos decertemus. Oportebat exanimes eſſe Valentinianos omnes; ſed jam adhuc clamaſſet cælum & terra, ſi tanta impudentia, tanta uſus fuiſſet Septimius licentia, ut ſine verecundia, ac timore Scripturæ verba temere [uti eſſet in Adverſariorum ſententia] tumultuario, arbitrario, memoriter, hoc ipſo in Capite citaret, locum imo effingeret ſibi, nulla in Verſione, nullo in Codice inveniendum; tot tamen inde de particulis *ex* & *in* tragœdias, totque tumultus contra Adverſarios excitaret ſuos: eos Codicibus, imo Codicum apicibus, ſyllabis, ac litteris ſtare debuiſſe contenderet, ut de ſenſu verborum poſſet cum ipſis deinde certare; ipſe autem nullam modo verborum, modo phraſium, modo etiam ſenſus atque ſententiarum, nullamquem textus, in illa ipſa Quæſtione, illo ipſo in loco, illo ipſo tempore, vel decori cauſſa, inque ſpeciem, haberet rationem. Ad hæc, videbit Lector per ſe, ex verbis Tertulliani, an ſyllabæ Scripturarum Patribus fuerint adiaphoræ.

Tertium argumentum Numero eſt pulcherrimæ Epiſtolæ humaniſſimi Barzani III. ex Frickii conjectatione derivatum, qua veriſimilius judicat, multitudi-

tudinem Verſionum, ut ait, vitioſiſſimarum, quæ in ædibus privatorum propemodum ſine numero reperiebantur, ab Auguſtino deſignari potius, quam triti nominis Italam, quæ omnibus præferebatur, publicique uſus in Eccleſia erat: quo ex principio conſequi ait Adverſarius, nullum fuiſſe probatum in Eccleſia Codicem, ex quo Tertullianus ac Patres ceteri, Lectionem *natus eſt* potuerint mutuari. Quo quidem argumento, ſeu principio, haud video quomodo mecum certare contendat qui Lectionem, *non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*, in Itala profecto fuiſſe non dixi, aut illis in Codicibus, qui publici uſus in Eccleſia erant; ſed in aliqua contendi fuiſſe ſolum ex innumeris verſionibus, quæ ante-hieronymianis temporibus, aut antequam vulgatiſſimus hodiernæ uſus ceteras antiquaſſet plurimas, circumferebantur. Ceterum, ſi præcipua quæ in altero de Criſtiana Doctrina Libro edocet Auguſtinus, examuſſim perpendamus, multa facile poterimus eruere, cum adverſus opinionem Frickii, tum in rem noſtram optima confectaria. Abeſt enim adeo, ut Interpretationes omnes latinas Bibliorum vitioſiſſimas duxerit Sanctus Pater, ac tales, ut ex iis, quod Frickius autumat, oriretur abuſus plurimus, & confuſio fœda; ut eorum nonnullas, quod jam vidimus, adjumento potius, quam impedimento fuiſſe voluerit rectæ Scriptoris Sacri ſenſus intelligentiæ. Itala certe publici in Eccleſia uſus erat; & tamen eam etiam emendatione indiguiſſe aliqua oſtendit Auguſtinus, dum laudato in Opere quereretur, multa corrigi ſine infirmiorum hominum offenſione non poſſe, nec auferri, ut optabat, *de ore cantantium populorum*. Italam ceteris prælatam quidem docet, quod verborum eſſet tenacior cum perſpicuita-

cuitate ſententiæ; Latinos adhuc tamen Novi Teſtamenti Codices non ex Itala emendandos exiſtimavit, ſed (qui ſcopus totius Orationis erat) ex Græcorum potius Codicum fide hominumque auctoritate, *qui apud Eccleſias doctiores, & diligentiores reperiuntur*. Hoc autem fieri præſens haud ſinit ætas, ab Apoſtolicis Codicibus, ab Autographis nimium remota; nempe omnium prorſus Criticorum, & hac in re doctorum hominum ſententia, non ea integritate,noſtra gaudent græca Exemplaria, qua Hieronymi & Auguſtini temporum græci Codices gaudebant;non ea, qua olim, Græcorum Eccleſiæ doctrina ac ſanctitate florent;non ea utuntur diligentia: quare ad Codices confugiendum eſſet potius, quibus uſi ſunt vetuſtiores, diligentiores, & doctiores Patres; ad Codices videlicet Tertulliano ac Irenæo familiares, ſi quid occurreret, quod haberet opus emendatione; exque ipſa Canonum Auguſtini auctoritate ac ſententia, Lectionem *natus eſt* apud Joannem, ſanus nemo inter vitioſiſſimas numeraret.

Sane, ſi partium ſtudiis meus ageretur animus (quod abſit ſemper) ex effatis Criticorum poſſem aliquomodo contendere, Lectionem *natus eſt*, non authenticam modo, ſenſu jam expoſito, ſed veram etiam eſſe, ſinceram, atque genuinam; ſicque argutari: Verior illa cenſeri debet Lectio, quæ antiquior videtur, & apud vetuſtiores recepta Patres; atqui Lectio hujuſmodi, ceu Codicum Irenæi, Tertulliani, & Veterum aliorum propria, antiquior eſt Lectione Codicum, quibus in præſentia gaudemus: itaque illi Lectioni ſtandum videretur. Rurſus: Verior illa cenſeri debet Lectio, quæ cum ſerie orationis, Scriptoris mente, ejuſque ſcopo magis conſonat ac conſilio; atqui, vel concedente Barzano, poſt Toletum, Lacerdam, alios, hujuſmodi videtur laudata Patrum Lectio:ergo verior, ergo ſincera ac

genui-

Digitized by Google

genuina. Nec officeret profecto, quod nil tale in Correctionibus, Hieronymiana aut Clementina, offenderetur. Hieronymus ſiquidem, Præfatione in Evangeliſtas, de eorum emendatione abs ſe facta loquens, ſcribit: *Ne multum a Lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperavimus, ut, his tantum quæ ſenſum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant*. Idoneo id quoque confirmat Millius ratiocinio, quum de Doctore Maximo in Prolegomenis agens, num. 862. " Certe, inquit, univerſum Novum Teſtamentum levi brachio, & quaſi currente calamo ab eo caſtigatum fuiſſe, clare ſatis arguit præcipitata Operis Editio. Nempe per triennium ferme, quod Romæ agebat Hieronymus, cum variis negotiis dubiiſque diſtrictiſſimum eum fuiſſe conſtet (Jam enim Pſalterium Latinum curſim, magna tamen ex parte a ſe emendatum edidit; Reſponſiones ſcripſit Epiſtolares, nomine Damaſi, ad Synodicas conſultationes Orientis & Occidentis; Epiſtolarem Tractatum de cuſtodia Virginitatis ad Euſtochium; Epiſtolas ad alios; libellum adverſus Helvidium; Dialogum Luciferiani & Orthodoxi; imo, ſi Baronio fides, etiam Appendicem ad Tractationem de Seraphim; Sermonem prolixum de filio prodigo; Translationem duarum Homiliarum Origenis in Cantica &c.) quantillum temporis relictum fuerit neceſſe eſt huic Novi Teſtamenti recenſioni! Hæc, inquam, Millius, qui num. 857. unum animadvertit, quo facillime cognoſcas, haud certe mirum, quod juxta Veronenſis Codicis aut ſimilium Lectionem Joannis comma non emendaverit Hieronymus. Poſt relatam enim Hieronymianam quandam in Evangelio correctionem, ſubjicit: *Certe ſi ceteris etiam in locis pro Græcis adhibuiſſet in*

 conſi-

conſilium Latina Exemplaria quæ in Bibliothecis haud pauca exſtabant; pro pauculis quibuſdam hic illic, nec ſemper recte, mutatis, univerſam Verſionem reſtituere licuiſſet originariæ ſuæ integritati. Ex Hieronymiana igitur prætermiſſione Latinorum Exemplarium vel ortam ſuſpicari nonnulli poſſent conſecrationem, ut ita dicam, vulgaris Lectionis; aut conſequi majore ſaltem jure, nullum eſſe poſſe contra Veronenſem Codicem ex Hieronymiano ſilentio argumentum.

Qui Clementinæ vero Emendationi præfuerunt, Hieronymiano ſe proceſſiſſe more teſtantur his verbis: *In hac tamen pervulgata Lectione, ſicut nonnulla conſulto mutata, item etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt; tum quod ita faciendum eſſe ad offenſionem Populorum vitandam Sanctus Hieronymus non ſemel admonuit; tum quod &c.* Conſilium hocce confirmant luculenter Epiſtolæ Bellarmini, qui correctioni præfuit, ad Lucam Burgenſem, & Dandini ad Muretum, quarum fragmenta adfert Calmetus Diſſertatione in Vulgatam. Inde apparet, tantam demum fuiſſe nonnullorum Orthodoxorum in Sacras Litteras reverentiam, ut quæ menda, quamlibet dilucida, ſemel irrepſerant, religio fuerit attingere, ne quo ſcandalo Plebs afficeretur, longa jam habitudine Lectioni alicui adſueta. Quantum vero adlata cauſſa, ſive ratio magis militet in priore illo Capite Joannis, videt quiſque per ſe. Joſephus Catalanus Libro de Codice Evangelii, atque ſervatis in ejus Lectione, & uſu vario Ritibus I. Cap. XI. hæc ſcribit: *Porro potiora fidei Chriſtianæ myſteria S. Joannes tam admirabili brevitate complexus eſt, ut propterea ex præcepto S. Pii V. hoc fidei Breviarium legatur in fine Miſſæ, quod olim multi religioſe quotidie avebant, curabantque*. Jam vero quum millies quocumque die recitaretur audireturque

que

que in Lectione Evangelii *In Principio &c.* phraſis *nati ſunt*; cur qui emendandis poſtmodum Bibliis præfuere, mutarent, legendumque edicerent *natus eſt*, maximo fortaſſe infirmiorum ſcandalo? Quia Pſalmi canebantur; etiam poſt Hieronymum, Itala eorum Verſio retenta. Hinc prudentiſſimi cõſilii fuit, reſtitutionem potius, quam novam Evangeliorum, utpote vulgatiſſimorum, editionem cudere; quum arcanum novi ritus ſit imago antiqui. Quare, tametſi Veronenſe MS. aut alii majoris antiquitatis Codices Clementinis Correctoribus innotuiſſent; haud crediderim perinde, talem eos inducturos mutationem. Ubi enim de re agitur non neceſſaria, ædificatio Populi eſſe ſuprema lex debet, fuitque ſemper prudentioribus Eccleſiæ Præfectis.

Eſſet hæc ex Criticorum principiis rectiſſime deducta conſequutio. Verum haud adeo incautus ſum, ut Religionem meam e Criticorum effatis pendere velim. Numquam enim cogitavi, Vulgatæ textum in loco corrigendum; numquam Lectionem *nati ſunt* falſam eſſe, non recipiendam, aut mutandam. Priori in Diſſertatione mentem ita meam aperui, ut nemo non intelligeret, putare me, ita, uti apud Patres, lectum olim in aliquibus Codicibus fuiſſe, ſicut hodieque in Exemplari legitur (ſive recte, ſive perperam) Canonicorum Veronenſium. Quî vero factum ſit, ut ita legeretur, (quandoquidem, exiſtimandum eſt, Vulgatam Lectionem eſſe genuinam) non alia nunc arbitror de cauſſa, niſi quod ita nonnulli, privato olim conſilio, veluti exigentia loci ducti, proprie magis legendum judicarent. Non igitur volui unquam, ita nunc debere legi, aut hodiernos Codices eſſe ad Lectionem Tertulliani exigendos; quod perperam illuſtris Adverſarius me ſenſiſſe credidit: Quare ſine cauſſa laboravit maxime, ut Vulgatam tueretur Lectionem. Sed ut idonea in lucem

adferam motiva quæ Lectioni illi ortum dare potuerunt, de loci exigentia, ſaltem prima facie, illo in commate diſquiram; unde recte adeo viſa Patribus fuerit Lectio collocata, ut eam inde aptiſſimum rei maximi momenti evincendæ ſibi præbere crediderint ſenſum atque argumentum.

C A P U T   V I.

Quibus de cauſſis factum, ut nonnulli cum Græci, tum Latini Evangeliorum Codices priore Capite Joannis, uſurpatam ab Irenæo, Tertulliano, Chryſoſtomo, Vigilio Tapſenſe, Auguſtino, & Joanne Damaſceno continerent Lectionem.

IN mea de Loco Joannis, aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto, Diſſertatione, (quam me cum exercitationis cauſſa, tum etiam præcipue, ut quam plurimos Inſtituti noſtri in ſtudia Hebraicæ ac Græcæ Linguarum bene animatos egregiæ indolis Adoleſcentes incitarem magis, Hebraicæ veluti Litteraturæ ſpecimen, contexuiſſe faſſus ſum) ut de ratione dicerem, qua Interpres olim aliquis, Helleniſticarum phraſeon non ignarus, ex obſervata, vel ſaltem credita anomalia textum immutare perrexerit; generali præmiſſa græcæ, qualis propria Synagogarum erat, Linguæ theoreſi, ejuſdem ex analogia, ſeu anomalia Linguæ, verba οἳ ἐγεννήθησαν in *qui natus eſt* ab aliquo fuiſſe converſa, ratione adjectorum habita, me ſuſpicatum dixi, additis conjectationem adjuvantibus exemplis. Putabam ſcilicet, me magni

Viri

Viri Canonem ſequutum, opportune admodum ſcribentis: *Il ne faut pas juger de cette ſorte de choſes par nos oreilles, accoutumées à des Langues plus regulieres, mais par l'uſage des Hebreux, qui changent, avec beaucoup de libertè, les nombres, les tems, & les Perſonnes* (Biblioth. Anc. & Mod. Tom. XV. pag. 38.) Enallagem reipſa frequentiſſimum Idiotiſmorum Sacræ Scripturæ eſſe, quis eſt qui neſciat? Regum I. 18. 21. habemus: ויאמר שאול אל דוד בשתים תתחתן בי ביום; atque apud LXX. Pariſ. Editionis: *ϗ εἶπε σαοὺλ πρὸς δαυὶδ ἐν ταῖς δυσὶν ἐπιγαμβρεύσεις μοι σήμερον*; quod in Vulgata redditur: *Dixitque Saul ad David: In duabus gener meus eris hodie*; ſcilicet, *in duarum altera*; uti Martianæus ait in Tractatu de Simplici Syntaxi, & Jo. Baptiſta du Hamel in Scripturæ Prolegomenis Diſſertatione IV. Cap. 4. Sic Matthæi XXVII. 44. *τὸ δ' αὐτὸ ϗ οἱ λῃσαὶ, οἱ συσαυρωθέντες αὐτῷ, ὠνείδιζον αὐτῷ*. *Idipſum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, hoc eſt, *Latronum alter*. Hac vero via *οἱ ἐγεννέθησαν* mutandum dicebamus, ſeu interpretandum *ὅς ἐγεννήθη*. Hanc tamen explicandi rationem me nunc deſerere duo cogunt: alterum, quod animus non ſit adverſus Barzanum Linguarum callentiſſimum hiſce de rebus diſputare; tametſi, nullo etiam jure facta ejuſmodi translatio, poſſibilis tamen eſſet, eaque ſemel facta Patres uti potuiſſent: alterum, quod animadverſione facta, Irenæum græce ſcripſiſſe, detectiſque Lectionibus Joannis Chryſoſtomi, ac Joannis Damaſceni; quum & græcum Auctoris Dialogorum de SS. Trinitate textum aliqui originalem eſſe arbitrentur; heinc cenſendum, non Latinos tantum aliquos Evangeliorum Codices legiſſe *natus eſt* [quod explicandum tunc erat, ut illuſtrarentur loca Tertulliani, unicus Diſſertationis illius ſcopus] ſed

 &

& Græca fuiſſe Exemplaria, in quibus legeretur ὃς ἐγεννήθη; quare non Latinus modo, ſed & Græci Patres Joannis Lectionem ſuis ab Exemplaribus ſumma derivaſſe fide dicendi ſint. Unum modo aliquam adferre admirationem videtur poſſe, quod quum ego ad ſimillimo confirmandam exemplo cogitationem meam, retuliſſem illud Geneſis XXXV. 26. אלה בני יעקב אשר ילד לו, quod, eſto *ad verbum* reddendum eſſet, *Hi filii Jacob, qui natus eſt ei*; attamen ſive Hebraiſmorum, ſive adjectorum ope, omnes interpretati ſunt, *Hi filii Jacob, qui nati ſunt ei*; hoc, inquam, quum retuliſſem, tanquam luculentum ac tempeſtivum Exemplum, ut nihil ſupra; Barzanus ſemitransfugam me appellat, atque hominem, qui datam pene rumpit ſacramenti fidem; quod æternum merere Maſclefiano in agmine pollicitus, illud nunc, levi de cauſſa, perfide deſeram. Quare vero? Quia, ſubdit, Maſclefianus Hebraicum ילד aliter hic ſumere non poteſt, quam active; quia אשר omnibus generibus, caſibus, ac numeris inſervit; quia quum proprie loquendo careant Hebræi pronominibus reciprocis, ad ea exprimenda utuntur pronominibus poſſeſſivis, ſeu affixis tertiæ perſonæ; unde illud לו; niſi eo loci, ut in aliis multis, vocem illam ſuperfluere arbitremur. Quare concludit illuſtris Adverſarius, num. Epiſtolæ ſuæ XLVIII. "quemcumque profecto in verba Maſſoretha-,, rum jurantem, atque ultro punctationis eorumdem ,, anguſtiis detentum, allatum Geneſeos verſum aliter ,, vertere non poſſe, quam, *Hi filii Jacob, qui natus* ,, *eſt ei*. Contra, qui vinculorum impatientes quibus ,, eos Judæi recentiores torquent, re ancipiti perpenſa, ſaltu audent intrepido præterlabi, Maſclefiana ,, methodo, inquit, legent, atque rectius vertent: *Hi* ,, *filii Jacob quos genuit ſibi*." Optime, fateor, & ve-

re

Digitized by Google

re pronunciata . Unum tamen rogo : De quo-nam Interprete loquimur in præſens ? Num de Maſcleſiano , qui artem didicerit ante viginti quinque annos; an ex oppoſito de eo , qui ante-maſcleſianis vixerit temporibus? Quomodo juxta Maſcleſianam methodum, nudiuſtertius ortam , vix receptam, nondum propagatam, nec niſi conatu maximo ab objectis vindicatam, quomodo, inquam, juxta methodum hujuſmodi vertere debuiſſe eos poſtulas, quos ego , anomaliarum vi vertiſſe animadvertendum doceo , *Hi filii Jacob qui nati ſunt ei*; quum ex ſtrictæ interpretationis legibus, fuiſſet transferendum : *Hi filii Jacob, qui natus eſt ei?* Scripſi , fateor , Maſſorethas nullum anomaliæ illi auferendæ in ſuo illo Punctorum arcano & penu remedium invenire potuiſſe; ſed hoc intelligendum, habita ſolius punctationis ratione; non vero habito adjectorum reſpectu, juxta quæ ſingularem caſum omnes in pluralem probe mutaverunt ; quare & veriſimile fuiſſe inſerebam , pluralem caſum in ſingularem eadem converſum libertate ab Interprete Joannis.

Sint hæc vero, quæ pene ἀδοξάςως illa in Diſſertatione retuli, veluti vix ſcripta: nec enim amplius ea neceſſaria, ubi non Tertullianæa modo Lectio in aliquibus Latinis fuiſſe creditur Codicibus, ſed ejus etiam ſenſus in Græcis aliquorum Exemplaribus. Univerſali noſtro Syſtemati de Patrum citationibus tuendo, ſuſpicari ſatis eſſet , in nonnullis Græcis Exemplaribus οἳ in ὅς tranſmutatum facile fuiſſe; quod ex Litterarum ſimilitudine factum non ſemel ; & , loco ἐγεννήθησαν aliquo in Codice repertum fortaſſis ἐγεννήθη , deficiente σαν Amanuenſis negligentia ; quod ut confirmarem , haud opus eſſet, arbitror, Opere Henrici Stephani *de Origine Mendorum* : Sunt enim hæc notiſſima , Artis Criticæ , Linguarum , ac MSS. Codicum peritis . Verum quoniam

niam

niam ſtatui, Tertullianæam Lectionem haud eſſe Codicum vitioſiſſimorum fœtum; quandoquidem deſunt veri fontes ac Archetypi, ad quos tutiſſime ipſa exigatur, eandem e ſcaturigine feliciori derivabimus.

Ut homines in concipiendis rebus ſunt adeo diverſi, mirum iccirco haud eſſe debet, ſi eorum nonnulli, qui olim Exemplaria ſacra corrigebant,non aliam viderint in Joannis loco, quam Tertullianææ Lectionis exigentiam. Norunt multi Virum Brixianæ Urbis doctiſſimum, qui non ſemel fateretur, tametſi nulli eſſent MSS. Codices, Patrum nullus, qui Lectionem diverſam a Vulgata memoraſſet, adhuc dicendum tamen, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt, & Verbum caro habitavit in nobis &c.* ut antecedentia conſequentibus naturali rectoque cohærerent ordine,atque univerſæ Joannis doctrinæ nativus proprius conſtanſque ſervaretur nexus. Barzanus quidem ſcripſit, videri ſibi, Evangeliſtam non ſolum profligandos Cerinthum atque Ebionem, verum etiam divini humanum erga genus amoris magnitudinem propalandam ſuſcepiſſe; æternæ Verbi ex Deo filiationi adoptivam indidem hominum credentium adjunxiſſe; innuiſſe alteram ad alterius dignitatem quodammodo accedere. Quum enim dixerit Joannes, Verbum Credentibus poteſtatem dediſſe filios Dei fieri, tantundem eſt, (ſubdit Barzanus) ac ſi dixiſſet, poteſtatem dediſſe, fratres ſuos fieri. Itaque, conſequitur, ſi ad hanc comparationem inter alterius υἱότητα & alterorum υἱοθεσίαν, utramque non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo provenientem, advertamus; nihil prohibet, quominus 12. & 13. verſiculos ita explicemus: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus: qui,*

que-

Digitized by Google

quemadmodum & ipſe, non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt; ita, inquam, memoratos verſiculos explicemus; quandam videlicet ellipſim in ſecundo, aut abditam toto in textu compoſitionem agnoſcentes, quæ faciunt enunciationem implicitam, ſeu exponibilem, ut Logicorum Vulgus appellat. Hucuſque Barzanus Num. Epiſtolæ ſuæ III. Qua quidem in re mentem ſubit, quod apud neſcio quem memini me legiſſe: *J' ai ouï dire un bon mot d' un Evêque de Bellei, fameux en France pour ſes bonnes rencontres. Il diſoit, qu' il étoit ſurpris de deux choſes; dont l' une étoit, que les Catholiques qui diſent que l' Ecriture eſt un Livre fort obſcur, l' expliquent ſi rarement dans leurs ſermons; & l' autre, que les Proteſtans qui diſent qu' elle eſt claire, comme le jour, ſe tuent de l' expliquer dans leurs Egliſes.* Nempe, quum ego, ne Lectorem obſcuritate fatigarem, contentus fuerim monere, nonniſi maximis ambagibus communem Lectionem ſolitos enarrare Interpretes; Adverſarius, ex oppoſito, per ellipſes, perque implicitas exponibileſque propoſitiones, per abditam toto in textu compoſitionem, conatu maximo contendit planam rem efficere, nexum rerum, utramque filiationem, Joannis mentem denique, conſilium, ac ſcopum facillima via patefacere, Vulgatæ ſenſum pene pervium efficere.

Ut vero nos nec muſſitare audemus contra Vulgatam Editionem; ita probamus etiam quæ ad illam illuſtrandam manuducunt; ea maxime de cauſſa, quod mox allata inniti videantur Auguſtini teſtimonio, acutiſſimi profecto in ſuorum temporum Codicibus enarrandis, & opinionibus Eccleſiæ ſui Sæculi propugnandis fœcundiſſimi. Haud faciunt iſta tamen, quin olim, uti nunc, alicui pericopa illa integra Joannis talem viſa fuerit emphaſim præſeferre atque ſenſum, ut non-

nonniſi cum Lectione *natus eſt* potuerit accommodari. Vel ii qui Tertullianæa de Lectione nullo modo ſomniarunt, apertiſſime teſtati ſunt, Joannem in aſſerenda Divini Verbi generatione totum fuiſſe in illo priore Capite Evangelii. Poſt multa, quæ divinitus prope, in Prologo ad Joannis Evangelium docet me Præceptor meus Thomas, ita denique concludit: *Sic ergo ex præmiſſis colligitur materia hujus Evangelii; quia cum Evangeliſtæ alii tractent principaliter myſteria humanitatis Chriſti, Joannes ſpecialiter & præcipue Divinitatem Chriſti in Evangelio ſuo inſinuat, ut ſupra dictum eſt; nec tamen prætermiſit myſteria humanitatis. Quod ideo factum eſt, quia poſtquam alii Evangeliſtæ ſua Evangelia ſcripſerunt, inſurrexerunt Hæreſes circa Divinitatem Chriſti, quæ erant, quod Chriſtus erat purus homo; ſicut Ebion & Cerinthus falſo opinabantur; & ideo Joannes Evangeliſta, qui veritatem Divinitatis Verbi ab ipſo fonte divini pectoris hauſerat, ad preces Fidelium Evangelium iſtud ſcripſit, in quo doctrinam de Chriſti Divinitate nobis tradidit, & omnes hæreſes confutavit*. Initio vero primæ Lectionis in idem Evangelium, rurſus Beatus idem Thomas: *Evangeliſta Joannes intendit principaliter oſtendere Divinitatem Verbi Incarnati. Primo inſinuat Chriſti Divinitatem*. Sequutus & ipſe eſt Præceptores ſuos Hieronymum & Auguſtinum, ceteroſque Patres, quorum teſtimonia adfert Joſephus Catalanus, de Codice Sancti Evangelii agens, atque ſervatis in ejus Lectione & uſu vario ritibus, Lib I. Capp 5. & 9. ubi peculiares Evangeliorum ſcribendorum cauſſas enarrat. Certe veteres Sancti Patres in Scopo Joannis aſſignando ita conveniunt, ut eorum nemo Evangeliſtam de duplici illa filiatione ſollicitum faciat in illo primo Capite Evangelii. Quin audiat amiciſſimus Barzanus, quantum

interſit,

interſit, priorem illam Evangelii partem de æterna Verbi generatione totam explicare. Poſtulabatur Socinianiſmi Joannes Clericus. Negabat ille ſe cum Socinianis facere. Inter innocentiæ argumenta locabat illud, ſe caput Joannis primum æterna de generatione integrum explicaſſe; quod utique adverſus Socinianam methodum eſſe, faſſuros omnes confidebat. *Je n' ai pas manquè de marquer quelle ètoit ma penſèe ſur quelques paſſages deciſives, par exemple ſur le Chapitre I. de l'Evangile de S. Jean &c. On ſçait, que ce n' eſt pas la le langage de Sociniens, & qu' ils ſoutiennent, que le I. Chapitre de S. Jean s'entend de la ſeconde creation.* Hæc ex Tomo III. Selectæ Bibliothecæ Anonymus Scriptor Hiſtoriæ Socinianiſmi Parte II. Cap. 46. Idem Clericus, ut ab ejuſdem labis nota ſuum vindicaret Grotium, Tomo Bibliothecæ Novo-Antiquæ XIX. pag. 134. in eandem ſententiam hæc ſcribit: *Le P. Calmet marque quelques endroits de l'Ecriture, dont il croit que Grotius auroit du ſe ſervir pour prouver la Divinitè de Jeſus Chriſt, les quels je n' examinerai point ici. Mais il falloit au moins avoir dit, qu' il explique le commencement de S. Jean par des paſſages des Peres de l'Egliſe; paſſages, qui ſont incompatibles avec les explications que les Sociniens donnent aux paroles de S. Jean.* Verum hac ipſa in re, vel ex ſcopo quem Joanni tribuit Clericus in illo primo Capite Evangelii, haud ſatis hominem abſolvendum laudatus Hiſtoriæ Socinianiſmi Scriptor apertiſſime contendit. Capite ſiquidem 47. ubi argumenta addit argumentis, ut Amſtelædamenſem Profeſſorem Socinianiſmo laborare evincat, hæc ſcribit: *M. Clerc dans ſa Paraphraſe dit, qu' il n' eſt pas certain, que ces Heretiques* (Ebionitæ, Nicolaitæ, ac Cerinthiani) *nieſſent la Divinitè de J. C. & qu' il y a toute apparence, que S. Jean n' a ecrit ſon E-*

vangi-

Digitized by Google

vangile, que pour combattre le Syſteme monſtrueux de pluſieurs Dieux, que ces Heretiques introduiſoient dans le Chriſtianiſme; & ainſi, qu' on ne peut rien conclure de cet Evangile en faveur de la Divinitè de J. C. Adeo Catholicæ fidei adſervatæ teſſeram hac in re habent aliqui, conſilium ac verba prioris illius Capitis Joannis ad æternam referre generationem Verbi.

Novi Orthodoxos Interpretes, qui ſcopo Joannis illi ſecundarium, ut ita dicam, alterum ſubjecerunt; uti Cl. Calmetus, qui Prolegomenis in Evangelium Joannis, poſtquam aperte faſsus eſset, eum potiſſimum in finem ſcribendi Evangelii provinciam, Veterum ſententia, ab Apoſtolo ſuſceptam, ut ſuborientes Cerinthi, Ebioniſque Hæreſes revinceret, *nec abs re credimus*, ſtatim addidit, *voluiſſe pariter Apoſtolum Judæos incredulitatis arguere, ſicut & obſtruere ora Philoſophorum, qua Platonicorum, qua Stoicorum. Etenim illorum Dogmata & errores numquam non ſternit in Evangelio, ac præcipue in priore Operis illius Capite, quo ſublimiorum Eccleſiæ Catholicæ Dogmatum ſummam complectitur.* Qua in re a Socinianis maximopere abſcedere fateor Calmetum, ſemel faſſum, Evangeliſtam Cerinthi, Ebioniſque hæreſes præſertim ſumſiſſe oppugnandas; ipſumque Barzanum longe ab eiſdem abeſſe ſcio ac pronuncio, Joannis in Oratione ac ſcopo, non Credentium ὑιοθεσίαν modo, ſed Verbi maxime ὑιότητα enumerantem. Verum, mihi ſatis in præſens eſt, omnium cum Veterum, tum Recentiorum, & Adverſarii etiam conſenſione, præcipuam primariamque Joannis curam, princeps Evangeliſtæ ſtudium ac conſilium fuiſſe, Incarnationis Myſterium in priore illo Capite explicare: quare a Sanctis Patribus κατ' ἐξοχὴν Theologus, θεολογικώτατος, ὁ ἀρχηγὸς τῆς θεολογίας, demum ἥλιος τοῦ Εὐαγγελίου appellatur. Quod ſi tunc

præ-

præcipue, ſpecialiter, ac principaliter, ut modo dicendi utar D. Thomæ, illo de Myſterio ſollicitus fuit Evangeliſta; debuit profecto, initio maxime ſui Operis (quod Scriptoribus omnibus ſolenne eſt) totus in ſuo eſse argumento, in illa videlicet æterna Verbi generatione, in naturali filiatione vindicanda, non in filiatione adoptiva; quod commodum inde præſtare poterat, uti præſtitit reapſe. Quî enim fieri poterat, ut Joannes (qui, ut verbis utar Auguſtini, quaſi piguerit in terra ambulare, in exordio ſui ſermonis intonuit, erexitque ſe non ſolum ſuper terram, & omnem ambitum aëris & cæli, ſed & ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque conſtitutionem inviſibilium poteſtatum) ejus generationem filiationemque enarraret per quem facta ſunt omnia; & ſtatim, nec neceſſario, orationis impetum flecteret, eamque ad aliam & longe diverſam filiationem converteret, nec arcani adeo ſublimitati principii cetera congrua prædicaret?

Sed divinare libet, quid veterum Correctorum aliquis ſibi in animum induxerit, quum ad verba quæ in controverſiam vocantur, pervenit. Cerinthiani, Ebionitæque in eo maxime convenire videbantur, ut Jeſum ceterorum inſtar hominum e viri ac feminæ concubitu natum autumarent. Ita de Cerinthianis Epiphanius in Anacephalæoſi: *τὸν δὲ Ἰησοῦν κατὰ προκοπὴν χριστὸν καλεῖσθαι*; quibus relate ad Ebionitas ſubdit: *Ἐβιωναῖοι, παραπλησίως τῶν προειρημένων, Κηρινθιανῶν καὶ Ναζωραίων* &c. Et hujuſcemodi de Heterodoxis loquens Irenæus Lib. Hæreſeon I. Cap. 2. *Secundum autem illos*, inquit, *neque Verbum caro factum eſt, neque Chriſtus, neque qui ex omnibus factus eſt Salvator*. Origenes tamen Lib. adverſus Hæreſes V. duo Ebionitarum genera diſtinguit; quorum alios aſſerit Chriſtum ex Virgine

gine natum fateri, alios communi cum ceteris ſatu procreatum dicere. Virtutem vero in Jeſum delapſam nonnullos eorum Chriſtum appellaſſe ac Spiritum Sanctum, animadvertit ex Epiphanio Petavius Lib. De Incarnatione I. Cap. 2. Duo igitur præſtanda Evangeliſtæ videbantur, ut Cerinthianos Ebionitaſque omnes prorſus oppugnaret. Oſtendendum videlicet ipſi erat, Jeſum non modo Verbum æternum eſſe, verum etiam illud idem Verbum ex Virgine matre natum; nec illam neſcio quam Virtutem, a Verbo & ab homine diſtinctam, Chriſtum conſtituiſſe, ſed Verbum ipſum humanitati unitum, abſque ope viri procreatæ. Ab initio vero Capitis ad uſque verba, de quibus agimus in præſens, aperte quidem ac divinitus æterna de generatione Verbi Joannes dicit; verum de unione, nativitate, atque conceptione ejuſdem non video expreſſiora in Capite univerſo verba illis quæ Patrum Lectio, & Codex Veronenſis exhibent: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt, & Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*; quibus duplex Hæreticorum error damnatus, cum relate ad unionem ipſiuſmet Verbi cum humanitate, tum etiam relate ad conceptionem humanitatis ex Sancto Spiritu. Itaque opportune prorſus Lectionem illam adverſus priores Ebionitas adfert Tertullianus, ut intelligamus *ex concubitu nativitatem Domini negatam*; adverſus poſteriores Irenæus, *ne forte eum tantum hominem putaremus, neque alium quidem Jeſum ſuſpicemur fuiſſe, ſed unum & eundem Deum eſſe*, ne denique Chriſtum virtutem diceremus, aut Sanctum Spiritum in hominem delapſum.

Hanc utique poterat vetus Emendator imaginari in eo Joannis contextu, & orationis ſerie decentiam; qui & fortaſſe dixit intra ſe: Quæ-nam, obſecro, phra-

ſis

ſis iſta eſt: *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt?* Si jam (fortaſſe, inquam, dixerit intra ſe) ex Deo per adoptionis gratiam nati ſunt, quî fieri poteſt, ut facultate indigeant, qua filii Dei fiant? Barzanus hanc ut difficultatem tollat, adfert pag. 18. Kemnitii doctrinam, qua ſtatuit vocabulum ἐξουσίας ſignificare non tantum facultatem aliquid faciendi, vel acquirendi, verum etiam dignitatem, præeminentiam, excellentiam, auctoritatem, & jus aliquod. Oppoſitum tamen eſſe in loco intelligendum edocet doctiſſimus Petavius Lib. de Incarnatione IX. Cap. 4. Explicat illo in loco maximus Theologus vocabulum illud ἐξουσίας relate ad teſtimonium, de quo eſt præſens concertatio; & poſtquam falſam, quam Bezæ tribuit, ceteriſque Calvinianæ Religionis aſſeclis, dixit interpretationem illam qua dignitatem in loco, quo de agimus, intelligebant, aut jus; ita ſuum proſequitur argumentum: *Nec illo in loco Joannis ſecus a Vulgata accipi poteſt* ἐξουσίας *vocabulum. Nam ſtatim additur, qua in re* ἐξουσία *illa verſetur; nempe ut filii Dei fiant, vel, quod idem eſt, filios Dei fieri, quemadmodum ibi Scriptura loqui ſolet; ubi* poteſtas *præcipue* facultatem *&* licentiam; dignitatem *autem nullo modo ſignificat, ut ex Apoſtolo cernimus, ubi eſt I.* Cor. 9. ἐξουσία φαγεῖν, καὶ, πιεῖν poteſtatem manducare & bibere; *& mox:* ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν: poteſtatem habemus ſororem uxorem circumducere. *Item in illo ad Romanos loco de figulo,* ἐξουσίαν ἔχει poteſtatem habet facere vaſa, *qualia vult; atque in ceteris ejuſcemodi; ubi infinitivus verbi* τῆς ἐξουσίας *&* poteſtatis *ſignificantiam ad actionem aliquam alligat, ac determinat; nec* dignitatis *notionem illi ſubjici patitur; ſed rei certæ liberam atque indifferentem, atque in arbitrio poſitam*

ſitam

ſitam noſtro geſtionem, & optionem. Sic omnino ſeſe res habet: ac recte vetus Interpres noſter poteſtatem *ibi vertit, quæ ſit facultas, vel licentia. Cui conſentaneus Eraſmus in Latina ſua Interpretatione reddidit ſic*, ut liceret filios Dei fieri. *Neque vero jus cum pleriſque verterim; minime omnium ita, ut Bezæ placuit, cujus abſona & communis expers ſenſus eſt ratio. Quid enim ſibi vult iſta barbaries*, dedit eis hoc jus, ut filii Dei facti ſint? *quaſi ſic humanus ſermo ferat, ut jus dicatur dari faciendi quod jam factum & abſolutum eſt. Quis autem riſum teneat; ſi quis in ſuperioribus exemplis ita vertat*: An non poteſtatem habeo, ut manducaverim? *Aut illa Pilati ſic*: Neſcis, quia poteſtatem habeo, ut dimiſerim te? *Quod vero ad nomen ipſum juris attinet, mihi iccirco non placet, quod nondum habere jus proprie dicitur, qui nondum adoptatus eſt in filium, hoc eſt, nondum eſt juſtitia donatus. Atqui cum Joannes ſcribit, iis qui receperunt Chriſtum, ipſum dediſſe poteſtatem, ut ſint filii Dei; de hoc illorum ſtatu loquitur, qui juſtificationem antecedit; ad quam jus profecto non habet, cum necdum de morte tranſierit ad vitam, & adhuc Dei ſit inimicus.* Hucuſque doctiſſimus Petavius, cujus profecto orthodoxam ac præſtantiſſimam doctrinam interpretationi verborum, de quibus quæſtio eſt, neceſſariam negabit nemo. Ferre haud poterat Petavius barbariem Calvinianæ explicationis, ſenſuſque expertem orationem, *dedit eis dignitatem, præeminentiam, excellentiam, ut filii Dei facti ſint*; aut, *dedit eis jus, ut filii Dei facti ſint*; ſive etiam, *dedit eis poteſtatem, ut filii Dei facti ſint*. Quomodo igitur ferre valuiſſet, ſi quæ ſequitur juxta communem Editionem animadvertiſſet ſententiam? Nonne Evangelii contextum adverſus Petavium ipſum jure ac merito retorquere potuiſſent Calvini ac Bezæ acutiſſimi

Diſci-

Digitized by Google

Diſcipuli? Negat, uti vidimus, Petavius, humanum ferre poſſe ſermonem, ut jus, poteſtas, dignitas, facultas dari dicatur faciendi id quod factum jam & abſolutum eſt. Itaque videri alicui potuerit, haud debuiſſe ſignificare Evangeliſta datam Credentibus facultatem, ut fierent filii Dei, ſi jam non ex hominibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed nati ex Deo erant. Quid tandem ſibi vult illud, *in nomine ejus*, abſque ullo prorſus adjecto? Nonne perfici ac terminari debuiſſet illa propoſitio?

Video quid regerere quis cum Barzano poſſet, in enunciationibus ſcilicet, ſive in propoſitionibus hujuſmodi Aoriſtum eſſe, præteritum utique tempus per ſe ſe ſignificantem, futuri tamen vim & pendentis habentem temporis; id quod Græcæ Linguæ familiare eſt: quare ſenſus ſit, dediſſe Verbum *poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex hominibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo naſcentur*; quæ ſententia cum Ortodoxorum omnium doctrina egregie conveniet. Haud diffiteor vero, optimum hoc eſſe interpretandi genus, verbaque & mentem Evangeliſtæ rectiſſimam hac ratione interpretationem nanciſci. Verum de Interprete loquimur, qui illam ſolum de qua diximus, ſpectaret loci exigentiam; de Emendatore, qui abſque Aoriſtis orationis ſeriem continuatam vellet. Hic certe *nati ſunt* in *natus eſt* converteret, & ſtatim eſſet contentus. Nexum ſibi imaginatus hunc eſt, & faſſus ſinceritate admirabili Toletus. Poſtquam enim Annot. XXXVI. in Evangelium Joannis Cap. I. Lectionem Patrum retuliſset, ſubdidit: *Hæc Lectio ſenſui eſt valde conſona, & myſterii plena. Continuatur enim præcedentibus ſic, ut ratio quædam ſit, quare Credentes filii Dei fiant; nempe dedit poteſtatem filios Dei fieri iis,*

 qui

qui credunt in nomine ejus, qui filius Dei eſt naturalis & verus, & non natus ex ſanguinibus, cum voluntate carnis, & voluntate viri; qui Chriſtus eſt: quaſi dicat, ob id ſunt filii Dei iſti facti, quia credunt in eum, qui eſt verus & naturalis Dei filius, & non filius tantum hominis, ut ceteri, nati ex ſanguinibus, & ex concupiſcentia carnis, & viri. Quia ergo credunt filium verum Dei & naturalem, filii etiam fiunt Dei; quamvis longe aliter quam ille, in quem credunt. Huic Lectioni reſpondent quæ ſequuntur: Et Verbum caro factum eſt; *id eſt, hic qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis & viri, ſed ex Deo divina generatione natus eſt, factus eſt homo*. Conſiderandus eſt Jeſuita, Hiſpanus, Cardinalis, illo tempore apud noſtros, quod tu nec tenebras, nec poſses dicere lucem, Romano ſcribens in ſolo, cum onere ſuſcepto vindicandi Vulgatam adverſus Oſores ejus Lectionem; hæc, inquam, omnia conſideranda; inde ſtatim quiſque eruet, an proclive fuerit, ſive exigentiam, ſive decentiam illam in animum cadere potuiſse Editoris primorum ſæculorum. Conſentit doctiſſimus alter ejuſdem Societatis Vir Joannes Ludovicus de la Cerda, qui non contemnendam ait illam Lectionem, ſed Textum efficere faciliorem, hocque eam ſignificare ſcribit: *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, qui filius Dei naturalis eſt, & verus; & non natus ex voluntate viri, ſed ex Deo; & non ex ſanguinibus &c. qui Chriſtus eſt, & Verbum caro factum. Quaſi dicat, qui credit in filium Dei naturalem, & verum, filii etiam fiunt Dei*. Hactenus in ſuis ad Tertullianum adnotationibus Tomo II. Lib. de Carne Chriſti Cap. XIX pag. 506. laudatus Auctor.

Ut igitur unde diſceſſit, tot poſt circuitus tandem aliquando revertatur oratio: Da mihi veterem Interpretem laudatis hucuſque principiis, quæ pervia profecto

ſecto & naturalia ſunt, ſemel imbutum; hominem hujuſmodi, etiamſi legiſſe nolis textum Amanuenſium incuria corruptum, verſo οἳ in ὃς, & deficiente ſyllaba σαν; quod poſſibile ac facillimum factu erat, eoque in caſu, omnia ipſi viſa fuiſſent perfecte cohærere; hominem, inquam, hujuſmodi, Græco in Joannis textu verba facile eſt reddidiſſe, ſeu per enallagem interpretatum fuiſſe *natus eſt*, non Exemplaribus quidem, aut aliis etiam, præter exigentiam loci ſibi perſpectam, adjutum adminiculis. Scit enim quiſque quantum præjudicata poſſit in animis opinio; cujus & exemplum proſtat forte nimis hoc ipſo in Capite Joannis, ex interpretatione videlicet Sociniani hominis, qui quum oppoſitis percitus eſſet principiis, aliter atque omnes omnino textus, omnes habent Verſiones, Evangeliſtæ locum efferendum contendebat. Samuel Crellius is fuit, qui, ut habemus Tomo Theſauri Epiſtolici Lacroziani I. Epiſtola LXXXIV. ab neſcio quo ſe percepiſſe referebat, quoſdam in Codice Latino, Venetiis olim impreſſo, ita primum comma Evangelii Joannis legiſſe: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Dei erat verbum*. Heinc ſubdit Crellius: *Si junior eſſem, & res non eſſet anguſta domi, proficiſcerer Guelpherbytum* (ubi Codex ille reperiri ferebatur) *& rem, num ita ſe revera habeat, etiam explorarem. Nam ego quidem Sanctum Joannem ita ſcripſiſſe, etiamſi nullus Codex Evangelii ejus mihi nunc atteſtetur, nullus dubito*. Eadem agendi ratione igitur par eſt ſuſpicari uſum Interpretem, qui laudatum ſcopum ſibi ab Evangeliſta præfixum exiſtimaret. Quod & facilius evenire potuiſſe judicabimus, ſi animadvertamus, in Græco Joannis textu verba non disjuncta a ſe invicem, ſed continuo copulata nexu, ſine apicibus ullis ac punctis (quo modo fere in marmoribus antiquis & membranis cer-

Digitized by Google

nere eſt) exarata olim fuiſſe; adeo ut Lector, atque etiam Interpres pro ingenio lectiones dividere, voceſque ſeparare cogeretur, quare ſenſus contextui accomodatus emergeret. Vetuſtiſſimos illos Codices literis majoribus ac uncialibus exaratos, abſque additis ſpiritibus accentibuſque, abſque diſtinctione vocum, præcipuam revera ex cauſſis Variarum fuiſſe Lectionum oſtendit Joannes Saubertus, ſuis in Prolegomenis Variantium Lectionum in Matthæum. Emendatorem itaque hujuſmodi, qui non alium fuiſſe crediddiſſet Evangeliſtæ ſcopum, quam eſſentiam generationemque Verbi æternam tradere, ejuſque unionem cum humanitate, ope Sancti Spiritus in Utero Virginis efformata; Interpretem, inquam, ſeu Emendatorem hujuſmodi, vel in omnibus Græci textus Exemplaribus Vulgatam Lectionem invenientem, in animum proclive eſt induxiſſe ſuum, hujuſmodi Codicem eſſe vitiatum, & Librarii indiligentia mutatum aliquid, aliquid etiam inauſpicato adjectum. Scripſit ille igitur ὃς ἐγεννήθη; abſtulit exundantes opinione ſua Literas. Hinc Lectio, a Patribus Græcis recepta, orta eſt ac derivata. Quî autem fieri potuit, ut in varios diſſeminaretur Codices, & a diſſitis adeo Scriptoribus legeretur, Irenæo nempe, Chryſoſtomo, Auctore Dialogorum, Damaſceno? Non tam caſu, quam data opera factum arbitror, ex Græcanicæ nempe Theologiæ legibus, juxta quam illud ἐγεννήθη proprie de æterna Generatione Verbi dicebatur: duo enim νν in illo Verbo invenies, quocumque Codice, etiam ex receptiſſimis, utaris. Hoc ut intelligatur, exſcribenda hic eſſent quæ ſuo in Eccleſiaſtico Theſauro Suicerus habet de diſcrimine vocum γεννητὸς & γεννητὸς; quave ratione Græci Patres poſteriorem hanc de Filii generatione tantum docuerint eſſe prædicandam. Equidem ab exſcribendi labore ſuper-

perſedere deberem in præſens, propter neſcio quos Pſeudo-Criticos, qui omiſſam Suiceri doctrinam hic fortaſſe referendam dicerent, relatam, ſtatim nauſearent. Sed quia magni animi non eſt, beneficium dare & perdere; hoc eſt magni animi beneficium perdere, & tamen dare: age, legitimum illarum vocum veteri in Theologia uſum ex Scriptore doctiſſimo palam faciamus.

Scribit igitur Suicerus: γεννητὸς eſt *creatus*, *factus*; idem quod πεποιημένος; non ut Lexica volunt vulgata, *genitus*, *natus*. Hoc ex Patribus, qui pernegant filium Dei γεννητὸν dici debere, adeo clarum eſt, ut vix deinceps futurus ſit qui in dubium vocare auſit, niſi ſponte cœcutire, & veritati petulanter velit contradicere. Cyrillus Alexandrinus & diligenter, & frequenter inculcat, Filium non eſſe appellandum γεννητὸν, quia id ad Creaturarum ſortem eum non ſine blaſphemia detruderet. Ita ille præſertim Lib. I. in Joannem Capp. VI. VII. Proſequitur Suicerus: γεννητὸς a γεννάω eſt *genitus natus*. Heſychius: γεννητὸς, γνήσιος υἱὸς *germanus filius*. Ab eadem origine γεννήτορες ſunt γονεῖς *Parentes* apud eundem. Filius igitur Dei γεννητὸς dicebatur. Quum vero tantum has inter voces diſcrimen ſit, Patres Græci illud in doctrina de Dei filic quammaxime urgebant. Orthodoxus apud Auctorem Dialogorum de SS. Trinitate, Dial. II. dicit: *Nos filium quidem dicimus* γεννητὸν *genitum*, *non vero* γεννητὸν *creatum*: *illud enim* γεννητὸν *eſt quod Patrem habet*; γεννητὸν *vero quod habet Creatorem*. Eandem iiſdem in Dialogis Auctor rurſus doctrinam inculcat; quæ & ex Epiphanio eruitur Hæreſi LXIV. quorum teſtimonia Eccleſiaſtici Theſauri laudatus Auctor exſcribit. Hæc ut confirmarentur magis, ea prætermittenda non eſſent quæ ad voces ἀγεννησία, ἀγέννητος,

 &

& ἀγέννητος idem ex Patribus Græcis animadvertit. Poſtquam enim ἀγεννησίαν proprietatem eſſe Perſonæ primæ Trinitatis, eorum ſententia, oſtendit; diſcrimen voces inter ἀγέννητον, & ἀγένητον facile dignoſci poſſe contendit; nempe priorem duplici νν ſcriptam notare ingenitum, poſteriorem uno ν ſignificare id quod non eſt creatum, vel non eſt factum. Cauſſæ igitur Patrum inſerviebat egregie illud ἐγεννήθη, quod ad æternam referebatur generationem, duobus nempe νν ſcriptum; uti illa Joannis præcedentia ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, utpote ſimplici ν in verbo, recte ad filiationem referebantur adoptivam. Haud ignoro quidem, hodiernis in Codicibus ſive Evangeliorum, ſive ſacrarum Epiſtolarum, diſcrimen illud minime obſervatum. Verum, ut Textus hujuſmodi Archetypus non eſt, nec mendis carens; ita vel vigeſcente illa Græcorum adhuc Patrum Theologia, ita ab Amanuenſibus hac in re peccatum fuit, ut iidem Patres viderentur etiam fateri modo Patrem eſſe ἀγέννητον, modo negare; iterum & velle filium eſſe γεννητὸν, & ſimul nolle; quod non alia ratione videri & ita adparere ſubdit ac evincit innumeris teſtimoniis Suicerus, niſi quod ubi ſcribenda vox ἀγὲννητὸς, poſita eſſet altera ἀγὲνητος, γενητὸς, ubi γεννητὸς. Quod ſi longe nimis deducta hæc noſtra videatur conjectatio (quæ ſolidior videbitur ſerio meditantibus integra apud Suicerum Patrum teſtimonia) illud ſaltem certum eſt, aut erui certo poteſt, indifferentes non fuiſſe relate ad ſyllabas etiam verborum ad Sacra pertinentium Veteres; ſed vel ex litterulis atque apicibus maxima derivare olim ſolitos Theologiæ capita ac momenta.

Latinis de Codicibus ſi loquimur, potuit Lectio *natus eſt* ab Græco Codice ἐγεννήθη eſſe ducta; potuit ex ad-

Digitized by Google

adjectorum vi, ratione ſcopi ac conſilii Evangeliſtæ ita excogitati, ratione decentiæ, cohærentiæ, aut ita conceptæ exigentiæ, Latino ab Editore pro lubitu efformari. Fatetur Hieronymus Præfatione in Evangeliſtas aliqua in Evangeliis ſuo fuiſſe tempore *vel a vitioſis Interpretibus male reddita, vel a Præſumtoribus imperitis emendata perverſius, vel a Librariis dormitantibus aut addita, aut mutata*. Da hujuſmodi fuiſſe Lectionem *natus eſt*; haud ſubinde ſequitur, ea Patres uti jure quodam non potuiſſe; præſertim quum veriſimile prorſus eſſe videatur, non in uno tantum contentam Codice, ſed in pluribus diſſeminatam.

Dixi in edita Diſſertatione (quandoquidem certiſſime oſtendi non poteſt, Lectionem Vulgatam, genuinam ac primævam eſſe) factum fortaſſe ex Valentinianorum Hæreſi, qui Tertulliani teſtimonio legere volluiſſent ſolum *natus eſt*, ut oppoſita Codicum aliquorum Lectio, ſcilicet *nati ſunt* communis apud Orthodoxos evaderet ac conſecrata; eaque Lectione commodum adverſus Hæreticos, Patres uſos; quare ſuis eos armis demum confodere valerent. Hiſce vero reſpondit humaniſſimus Barzanus num. Epiſtolæ ſuæ LI. nunquam me demonſtraturum, eam Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe, ut ex duabus, quæ variarent, Lectionibus, alteram ex Hæreticorum petitionibus incommodam, tanquam prophanam, a ſuis procul monumentis eſſe ac faceſſere juberet, alteram amice ſuſciperet atque adoraret; quod duobus aut tribus exemplis illuſtraturum ſe confidit. Verum, ut-ut tueri hanc nolimus poſſibilitatem, ut ita loquar; illam tamen tueri facile eſt; quum haud ſemel Eccleſiæ Præſules, ceu Sydus plane retrogradum, modos præſertim exprimendi, phraſes fonteſque Hæreticorum repudiarent damnarentque; conſecrarent ex oppoſito inviſas eiſdem voces at-

que formulas: nec enim alia de cauſsa ponendum duxerunt Nicæni Patres ὁμοούσιον in Decreto, niſi quod ex Euſebii Nicomedienſis Epiſtola id Adverſariis eſse formidini viderent; uti ex D. Ambroſio patet Libro de Fide III. Cap. 7. Immo, ne ab argumento noſtro in præſentia recedamus, cum de diverſa punctatione veterum Latinorum Scripturæ Codicum, & Sacrarum apud Patres Lectionum ſcripſerit Simonius: *On doit meme ſe precautionner en liſant les Ecrits des Anciens Peres, principalement lors qu' ils diſputent contre les Heretiques de leur temps, des quels ils s' eloignent le plus qu' il leur eſt poſſible*: (I. Part. Hiſt. Crit. Nov. Teſt. Cap. XXXIII.) haud video dubitare quî poſſis, ita in Joannis Lectione eveniſſe potuiſse; ea præſertim de cauſa, quod Initium illud ejuſdem Evangelii, vel in uno commate, quatuor diverſis legeretur punctationibus, quod videre palam eſt apud Auguſtinum. Ut omittamus, inquam, iſtud quod ſexcentis illuſtrari poteſt factis atque exemplis quæ cum apud Simonium, & Eraſmum, tum apud Exegeticos etiam proſtant ac Polemicos Scriptores; ut verum etiam certumque ſit oppoſitum Adverſarii effatum, Eccleſiam videlicet univerſali quadam ac recepta lege, ſeu agendi œconomia ſuas numquam, ut Hæreticis adverſaretur, elegiſſe Lectiones, nullam elegiſse umquam præ ceteris exprimendi rationem, Codiceſque adeo incorruptos adſervare potuiſse, ut nullus umquam fuerit libertati locus: At id tamen falſum profecto fuit relate ad privatos homines atque Correctores, qui pro libertate, imo temporum licentia, Lectiones deperibant, uti ſuis faventes, ita Heterodoxorum principiis quammaxime oppoſitas. Ceterum in hac quæſtione, arbitraria ſunt multa quæ Barzanus adtulit, tum etiam plurima quæ diſsero. Illud unum ex hoc in Capite dictis

erui

erui tantum volo; quacumque ſeu idonea, ſeu fortuita ex cauſsa ortum habuerit Lectio *natus eſt*; credendum ſemper tamen, nonniſi Exemplarium ductu eam Patres recitaſse, quum ad rem infiniti momenti inculcandam eam uſurpaverint: Irenæus ad æternam Verbi eſsentiam ejuſque cum humanitate unionem vindicandam: Tertullianus ad oſtendendum, nativitatem Domini in Evangelio ex concubitu negatam: Joannes Damaſcenus ad Incarnationis Myſterium intime enucleandum: Auctor Dialogorum de SS. Trinitate ad eſsentiam Patris adverſus Anomæos in Filio evincendam: quod ut ex principiis ſemel poſitis liquet, evidentiſſime evincit, Patres non ſolum Lectionem ex Codicibus eruiſse ſuis, ſed etiam idonea de cauſsa hanc in illis contentam arbitratos.

CAPUT VII.

Ex Lectione antiquiſſimi Veronenſis Evangeliorum MS. Codicis, quæ cum citatione Patrum conſonat, idoneum ſumi fundamentum, ut Evangeliſtæ verba eos ex Codicibus recitaſſe ſtatuamus.

DE Veronenſi Evangeliorum Codice, de antiquiſſimo ſcilicet illo Evangeliorum exemplari, quod Lectionem exhibet Tertullianæam, dicturus, paucis me expediam. Operam enim me perdidiſſe priori in Diſſertatione aliqui ſuſpicari poterant, qui tot ratiociniis, tanto circuitu atque adparatu, ex Lectione reperta apud Patres evincere ſategerim, aliquam fuiſſe olim in Eccleſia ita legentem Verſionem.

Cur

Cur enim labore tanto poſſibile exſtitiſſe oſtenderem, quod reipſa exſtat adhucdum apud Veronenſes? Notum imo etiam, quantam tribuant illi MS. antiquitatem, quantum ejus integritatem deprædicent celeberrimus Marchio Maffejus, Blanchinus, & Campagnola. Itaque jure ac merito, ſimili ex Codice aut Exemplari, Tertullianum præſertim, Lectionem ***natus eſt*** apud Joannem, deſumſiſſe ſuſpicabar. Quidni ita demum non ſuſpicarer modo, verum etiam decernerem? Eos inter, qui in ſententia Adverſariorum verſantur, eminere videtur certe Ludolphus Kuſterus in Præfatione ad editionem Novi Teſtamenti Millianam, qui Virum magnum deceptum etiam ſuſpicatur, quod errores partim Scribarum, partim Typographorum, in Codicibus inventos, Variantes crediderit Lectiones. Ille adhuc tamen in illa ipſa Præfatione, ſi intimius perpendatur, ea ſtatuit principia, quibus noſtrum de Tertullianæa citatione cogitatum adſtruere ac ſtabilire poſſimus. Quatuor Variantium Lectionum ſtatuit genera: 1. falſo ita dictarum, ſive quæ tales videntur quidem, at revera non ſunt: 2. Dubiarum: 3. Vere quidem talium, ſed nullius momenti: 4 Vere itidem talium, ſed alicujus aut maximi momenti. Explicata autem primi generis natura, ita in rem noſtram aptiſſime, proſequitur: " Quod ad ſecundum genus Varian-
„ tium Lectionum, id eſt *Dubiarum*, adtinet; eo præ-
„ cipue referendæ ſunt citationes illæ Patrum, de qui-
„ bus exploratum non eſt, utrum fide & auctoritate
„ Codicis alicujus veteris nitantur, an vero conceptæ
„ tantum ſint verbis, quæ memoria forte citanti ſug-
„ gerebat. De talibus ergo caute ſententia ferenda eſt,
„ ut neque illico pro variis Lectionibus habeantur, ne-
„ que ex earum numero temere excludantur: donec o-
„ mnibus rite ponderatis, liquidius de illis judicari poſ-
„ ſit.

„ ſit. Cæteroqui dubium non eſt, quin Patres antiqui
„ loca Sacræ Scripturæ ſæpiſſime ex memoria tantum,
„ nec inſpecto ipſo Textu Authentico, citaverint: qua
„ de re nobis conſtare poteſt, ſi Lectio aliqua nuſpiam
„ alibi, neque in Codd. MSS., neque in Verſionibus
„ veteribus, neque in ullo alio Patrum, vel Scripto-
„ rum Eccleſiaſticorum, imo ne apud eundem quidem
„ Patrem alibi, ubi idem locus citatur, reperiatur.
„ Quod ſi vero Lectio, de qua quæritur, apud unum
„ quidem vel alterum ex Patribus exſtet, non autem
„ ſuffragio ullius Cod. MS. vel Verſionis veteris confir-
„ metur; eam inter Lectiones variantes dubias referen-
„ dam eſſe cenſeo." Hucuſque Kuſterus. Itaque, vel ex Hominis inter Adverſarios præcipui Canone, inter Variantes veras Tertullianæa Lectio recenſenda eſt; utpote quæ non apud plures modo Patres exſtat, præſertim iterum iterumque apud Septimium, & Irenæum, ſed Veronenſis etiam antiquiſſimi Codicis ſuffragio fulta, roborata, ac evidentiſſime confirmata eſt.

Cl. Barzanus, ut meam negare valeat conſequutionem, ex Simonio primum ſtatuit, ut de vetuſtate ac veritate alicujus Lectionis recte judicetur, adjungenda Græca Exemplaria Novi Teſtamenti diverſis Exemplaribus cum Latinis, tum aliarum ex Græco Verſionum (difficile arbitratur quippe, cuncta ſimul æque in Archetypo ac in Verſionibus eodem modo eſſe corrupta): ita facilius futurum veras falſaſque Lectiones internoſcere: Rogatum vero doctiſſimum Blanchinum, an novam Lectionem alia MSS. præter Veronenſe tuerentur, in hoc uno eam ſe deprehendiſse faſſum. Subdit Adverſarius, non unum fuiſse falſarium eos inter qui Codices Sacros olim deſcriberent: Veronenſium Apographum eiſdem ipſis temporum viciſſitudinibus, quibus cetera, facile obnoxium fuiſse: ſuſpi-

cari

cari ſe a Tertulliano, tamquam capite & fonte, Lectionem in alios Patrum Codicumque rivos eſse derivatam: ut de MSS. recte judicetur, aliqua neceſſe eſſe præſto ſint, diverſis in regionibus, inter ſeque invicem diſſitis, ſcripta: incredibile denique videri, Lectionem inſtar validiſſimi teli retinendam adverſus Ebionis hæreſim, in quam Evangeliſta inſurrexerat, Lectionem aliquorum præſidio fultam Exemplarium, ita ſuccumbere dein debuiſſe, ut nullam ſui volam neque veſtigium in Græco uſquam textu relinqueret. Ex iſtis omnibus infert, nullam fuiſſe olim, uti ſuſpicabar, probatam in Eccleſia Evangeliorum Editionem quæ reapſe legeret: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt.*

Hæc autem omnia ut labuntur ſtatim ex demonſtratis in priori Commentarii parte (ſupponunt enim, SS. Patres nonniſi genuinas citaſſe Lectiones, nonniſi unica uſos editione; ſupponunt Variantes omnes ſat inpræſentiarum eſſe notas ac vulgatas; ſupponunt imo quod cogitatu impoſſibile eſt, tempus edax in Codices nullos ſæviiſſe, & Exemplaria Veterum omnia adhuc eſſe reliqua) ut inquam, labuntur hiſce de cauſſis ea omnia, accedit etiam valere fortaſſe potuiſſe Adverſarii argumentum, ſi vulgatiſſimam receptiſſimamque Lectionem emendandam ex Veronenſi Codice docuiſſem; ſi communem Editionem vitiatam in loco eſſe contendiſſem; ſi ſcripſiſſem, Codicem unum anteponendum ceteris. Verum nec tale quid umquam volui, & oppoſitum ex Mabillonianorum auctoritate Canonum decrevi. Unum adhuc tamen illuſtrare placet; nempe, ita res fuiſſe olim comparatas, ut magno verſaretur in errore qui ſentiret, veram eſſe aliquam Lectionem, quod in omnibus reperiretur Codicibus, falſam, quod in aliquo, aut etiam in nullo. Adnotat Auguſti-

Digitized by Google

guſtinus Lib. II. de Doctrina Chriſtiana, labes nonnullas tam multos præoccupaſſe Latinos Codices, ut vix ſuo tempore aliter inveniretur ſcriptum; cum oppoſita tamen ſententia manifeſtiſſima eſſet, quod antecedentibus clareſceret, conſequentibuſque verbis. Ait ſiquidem: *Hinc eſt etiam illud, quoniam μόσχος græce vitulus dicitur, μοσχεύματα quidam non intellexerunt eſſe plantationes, & vitulamina interpretati ſunt. Qui error tam multos Codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter ſcriptum; & tamen ſententia manifeſtiſſima eſt, quia clareſcit conſequentibus verbis.* Non ſemel idem admonet Auguſtinus, probatas ſibi Lectiones in Codicibus paucioribus eſſe, ſed veracioribus.

Nec officit ſane, Lectionem Tertullianæam nonniſi in unico proſtare Veronenſi Manuſcripto. Scribit Simonius optime in Diſſertatione de MSS. Novi Teſtamenti pag. 61. *Ce n' eſt pas agir contre le bon ſens, de prendre quelque fois pour une diverſe Leçon ce qui ne ſe trouve, que dans quelque Exemplaire: car il n' eſt ſouvent ſeul, que parce que nous ne ſommes pas riches en Exemplaires bien anciens du Nouveau Teſtament.* Hanc vero doctrinam ut non unius eſſe Critici percipiat diligens Lector, ſinat, obſecro, me ſat prolixum quidem, ſed opportunum prorſus hic deſcribere Viri harum rerum peritiſſimi teſtimonium. Coutantius in Vindiciis veterum Codicum confirmatis Parte V. Cap. 9. ſibi oſtendendum ſumit, eam aliquando recte anteponi Lectionem quam ex pluribus Codicibus perpauci, vel etiam unus aſſervet. *Qui veteres Editiones*, inquit Cl. Scriptor, *ad quamplurimos MSS. Codices non indiligenter exigunt, detegunt non raro, qui aut cujus fidei ſint MSS. quorum Lectionem Editiones antecedentes repræſentant. Id ipſe loquor quod ſum expertus. Nam cum ab aliquot annis in variis Epiſtolarum Pontificiarum Editio-*

Digitized by Google

ditionibus ad diverſas Collectiones Manuſcriptas, puta Dionyſii Exigui, Iſidori Mercatoris, & aliorum Anonymorum recognoſcendas deſudem; ex qua deſcriptæ fuerint quæ in vulgatis Libris obtinent Lectiones, comperire mihi perſæpe contigit. Ubi vero exploratum habetur, Lectionem, quæ in Editionibus prælata eſt, ex uno levioris notæ Codice exſcriptam eſſe, aut ſi plures in eandem conveniant, hos omnes ex uno mendoſo Archetypo v. g. ex Iſidori Mercatoris compilatione prodiiſſe; numquid hujuſmodi teſtimonium, etiamſi multiplex ſit, vel unius Codicis qui omnibus longe ſit antiquior, præponderare debet? An unius Iſidori Mercatoris quantumvis multi Codices, plurimi cenſendi ſunt teſtes inter ſe conſentientes? In hoc judiciorum genere in quo de Codicum, ſeu Lectionum ſinceritate decernendum eſt, ſuffragia non ſemper numeranda, ſed ponderanda eſſe jam monui. Unum Prototypum Ectypis ſexcentis anteferendum eſſe nemo dubitavit. Eadem pene eſt prærogativa Codicum qui ex ipſo Prototypo a diligenti manu ſunt deſcripti. Hinc de ceteris, proportione habita, eſſe debet judicium. Quo propius a fonte abſunt, eo etiam puriores eſſe ſolent. Interdum ipſa evidentia Lectionis, quam unus, vel perpauci aſſervant, animum ſic ad ſe rapit, ut ceteras, quas alii multo plures exhibent, repudiandas eſſe nullo pacto ambigat. Hujus rei luculentiſſimum adfert nobiliſſimus Scriptor exemplum ex Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum; poſt quod ita ſubiicit: *Iſtud forſitan paulo fuſius tractatum nonnullis videbitur: ſed unum hoc exemplum tria nos perſpicue docet: 1. vetuſtiſſimorum Exemplarium non omnino ſpernendas eſſe etiam mendoſas Lectiones; ſiquidem ad detegendas & firmandas genuinas non raro conducunt: 2. interdum accidere, ut plures Codices Manuſcripti nequaquam plures teſtes repræſentent, ſed unum*

num & idem teſtimonium in pluribus, ut ita dicam, foliis conſignatum; ut videre eſt in Exemplaribus Iſidori Mercatoris quæ cum Auctore ſuo concinere ſolent; & in exemplis Collectionis quæ Carolo Magno ab Hadriano I. data eſt, quorum vulgo non minor eſt inter ſe conſenſio: 3. Lectiones quas perpauci MSS. aſſervant, iis aliquando anteferendas eſſe quas longe plures exhibent. Hæc autem omnia ſolidiſſima principia commodum aptare quis poſſet antiquiſſimo Evangeliorum Codici Canonicorum Veronenſium. Nec id tamen nos volumus qui hæc tantum retulimus, ut objecta Barzani ſolveremus: namque ſolum jure optimo contendimus, ex ejus Lectione, quæ cum citatione Patrum conſonat, idoneum ſumi fundamentum poſſe, ut Evangeliſtæ verba eos ex Codicibus, uti Lectionem hanc, recitaſſe ſtatuamus. Abeſt enim adeo, ut MS. vitium inferat illud eſſe novitium, ut potius antiquitatis ejus eſſe videatur certiſſimum indicium. Auctor Bibliothecæ Antiquæ ac Hodiernæ Tomo XX. de Alexandrino agens veteris Teſtamenti Exemplari, edito a Grabio, optime ſcribit pag. 61. *Au reſte, les fautes mêmes ſont des preuves de la grande antiquitè de ce MS. & l'Orthographe irreguliere & bizarre, que l'on y voit, montre qu'il a été écrit par la main de quelcun qui ſavoit la langue Greque, par l'uſage, & non par les Regles : d'ou l'on peut recueillir, qu'il n'y a pas des corrections des Critiques, qui ſous pretexte de faire parler les Auteurs plus regulierment, changent quelque fois mal à propos des expreſſions qui ne laiſſent pas d'etre bonnes, quoiqu'elles ne ſoient pas ſi exactes, par rapport a la Grammaire.* Quam equidem doctrinam infinitis repetit in locis Critices Parens acutiſſimus. Quod igitur a Vulgata diſſonet Lectio MS. Veronenſis; ex eorum numero Codicem illum fuiſſe ſuſpicari jure poſſumus

qui

Digitized by Google

qui ſi non ante Hieronymum exarati, ad ejus emendationem ſaltem exacti minime fuerunt. Quum vero & corrupta interpolataque aliquando Exemplaria Patres, uti vidimus, optima fide ſequuti ſint; inferendum eſt, vel non integram adhuc Veronenſis Codicis Lectionem ex ſimili derivaſse Ecgrapho. Hoc utique inficiari non deberet Cl. Barzanus, qui Clericum preſſe adeo ſequi maluit, quique ejuſdem Epiſtolam laudavit ſuper Milliana Novi Teſtamenti Editione, publici juris factam MDCCVIII. Siquidem, cetera inter illius Ducis hoc de argumento effata ac principia, illud procul dubio obſervandum ab Adverſario erat quod ita Amſtelædamenſis Scriptor effert Tomo Bibliothecæ Selectæ XVI. pag. 328. *Intelligere licere, non eſſe vitio memoriæ, aut negligentiori citationi tribuendas varietates quæ apud Veteres occurrunt; niſi poſtquam vidimus, Codices nullos antiquos, neque Interpretes ullos veteres iis adſtipulari:* Quo nullum in univerſa Elucubratione noſtra validius inveniri poterit ad univerſam evertendam Barzani machinam momentum.

Scio Veronenſe MS. veriſimiliter in Africa non fuiſſe; attamen, uti ex Codicibus qui nunc modo in Anglia, vel in Gallia, aut in Hiſpania adſervantur, Grabius, Simonius, Dupinius, Calmetus, Waltonus, ſexcenti alii Clariſſimi Viri arguunt, ſimiles olim fuiſſe, ex quibus Ambroſius puta, Hieronymus, Auguſtinus, Leo, Græcique Patres ſuas hauſere citationes; ita & nos ex Italico hocce MS. recte ſuſpicamur, ſimile apud Tertullianum, ſimile fuiſſe apud Auctorem Dialogorum de SS. Trinitate, & aliquod fuiſſe Græcum quod viderint Irenæus, Chryſoſtomus, Damaſcenus. Cur, obſecro, id aliis in citationibus verum erit [hoc quippe ex principio derivantur omnia, quæ apud Simonium

monium legimus Capp. 32. 33. Hiſtoriæ Criticæ Textus Novi Teſtamenti; ubi de variis agit antiquiſſimis MSS. Codicibus ejuſdem) in Lectione vero noſtra dubium aut falſum? Eadem ubique ratio, eadem conditio: itaque iiſdem ex legibus ſane judicandum. Neque enim cuipiam difficultatem faceſſere poteſt ſolitudo MS. Veronenſis; quum eadem ſors ſit hominum, ac librorum. Una via, nonniſi conatu maximo in auras prodeunt; mille modis, mille caſibus ac periculis facillime pereunt. Utinam in utriſque, ſanioribus reliquis, deteriores tantum raperentur.

C A P U T VIII.

Cl. Natalis Argonenſis, ejuſque Interpretis de Patrum citationibus ſententiæ, quibus in utraque Commentarii parte diſputata majori in luce collocantur, confirmantur vehementer, atque propugnantur.

HAud multos ante annos vulgatus eſt Lutetiæ Pariſiorum Liber, de optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo pertractans, quatuor in partes tributus, quarum ſecundæ ac tertiæ Auctor fuit Natalis Argonenſis Vir Cl. qui Carthuſianum deinde Inſtitutum amplexus, Bonaventuræ ſibi nomen aſcivit; primæ ac poſtremæ Petrus Belheſtrus, Franciſcanorum Pariſienſium Bibliothecæ Præfectus, nullo licet Religioſi Inſtituti adſtrictus vinculo. Pulcherrimum hunc Tractatum e Gallica Lingua in Latinam convertit, & adnotationibus locupletavit Auguſtæ Taurino-

rinorum MDCCXLII. Vir Cl. Sacræ Theologiæ Doctor, qui nomen ſuum initialibus modo Literis ita deſignavit: J. F. R. Quum igitur Capite X. Partis II. quæ prima eſt Argonenſis, de neceſſitate agatur legendi Scripturas Sacras, ut æquam conſequi poſſimus SS. Patrum intelligentiam; operæ pretium duxi, ea omnia hic, Epilogi inſtar accomodatiſſimi loco, exſcribere quæ cum Argonenſis docet, tum Cl. ejus etiam Interpres in Commentario ſubjicit; quo ſane fiat, ut in utraque hujuſce Tractatus parte a me hucuſque diſputata majorem accipiant lucem, confirmentur veluti, ac vindicentur. Quæ rotundo charactere exarata leges, Argonenſis erunt; quæ diverſo, Interpretis.

Scribit itaque Auctor:" Quiſquis Patrum Eccleſiæ „ fidiſſimum ſe præſtare laborat diſcipulum, attentiſ„ ſime Divinas Scripturas pervolvat oportet, nec eas „ unquam e manibus dimittat. Diuturna exercitatio „ laborem minuit, faciliorem que parat intelligentiam; „ ac mira demum ſuavitate, atque delectatione per„ funditur animus, cum occurrentia Patrum loca ſta„ tim, nulloque fere negotio, quem in ſenſum referan„ tur, percipere valet.

„ Ne autem error obrepat, videndum inprimis, ex „ quo Scripturæ Libro teſtimonium, quod ſub oculos „ cadit, deſumtum fuerit; & num Liber iſte, vel ejus „ locus in Judæorum, vel Chriſtianorum Canonem re„ latus. Multum quippe differunt auctoritate Liber „ Canonicus, & Apocryphus, & Eccleſiaſticus, qui, „ cum abeſſet a Canone, legebatur antiquitus in Ec„ cleſia, ut documenta pietatis, vel alia quædam emo„ lumenta ducerentur ad Populorum inſtitutionem, „ atque ſalutem.

„ Apocryphi Codices, quos hæreſeos, vel mali e„ xempli cauſſa rejiciebat Eccleſia, nullius erant pon-

„ deris,

„ deris, nulliuſque auctoritatis. Eos quidem protule-
„ re nonnumquam Eccleſiæ Patres; aſt ea duntaxat
„ ratione, ut illa deligerent, quæ recta videbantur,
„ atque fere ſemper, ut Hæreticos eorundem, quos ac-
„ cipiebant, Librorum auctoritate refellerent.

„ Inſpiciendum ſecundo, quinam Libri, qui expen-
„ ditur, Auctor, vel Scriptor, cur, quomodo, quan-
„ do, & quicum loquatur. Si enim ignorentur cauſſæ,
„ quibus ad ſcribendum moti fuere Sacri Scriptores,
„ ſi illorum ingenium lateat, ac conſuetudo loquendi;
„ a genuino ſenſu longius recedes, quo propius eum at-
„ tigiſſe putabis.

„ Tertio loco diligenter conſiderari debet prolati
„ teſtimonii poſitio; videnda, quæ antecedunt, & con-
„ ſequuntur. Inquirendum inſuper, num plura Scri-
„ pturæ loca in illud referri poſſint, num eodem ſen-
„ ſu; mores ne, an dogmata ſpectet; integrum ne, &
„ de verbo ad verbum deſcriptum ſit, an vero man-
„ cum, mutilum, nec propriis, ſed æqualibus verbis
„ redditum: quod quidem Patribus admodum fami-
„ liare fuit, qui Scripturæ loca memoriter profere-
„ bant, de verbis parum ſolliciti, dum rem ipſam ſar-
„ tam tectam, integramque ſervarent. D. Baſilius in
„ Aſceticis, quæ nullius Libri ſubſidio perſcripſit, fi-
„ denter, & libere, eorum more qui memoriam te-
„ ſtem adhibere coguntur, Scripturam adducit. Ju-
„ ſtinus Martyr, Cyprianus, aliique illorum tempo-
„ rum Patres Scripturæ loca commemorant, prout in
„ mentem veniunt, & nonnumquam a LXX. omni-
„ no diſſentiunt.

Adnotat hic Interpres: *Memoria tantillum lapſus videtur hoc loco Auctor Operis, quum D. Cyprianum ab Editione LXX. Interpretum quandoque diſſentire pronuntiat; quaſi vero Græcis Exemplaribus uteretur D.*

 Cy-

Cyprianus. Latine ſcripſit Carthaginienſis Antiſtes, atque non Græcam, ſed ejuſdem Græcæ Latinam Interpretationem adhibebat. Jam vero Latinæ ejuſmodi Interpretationes plures erant numero, atque a ſe omnibus diverſæ, teſte Hieronymo Præfatione in Joſue, ubi ait... Apud Latinos tot ſunt Exemplaria, quot Codices; & unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addidit, vel ſubtraxit, quod ei viſum eſt... Quid ergo mirum, quod D. Cyprianus ab Interpretatione Græcorum omnino diſſentiat?

Proſequitur Argonenſis: „Hujuſce rei cauſſa peti poſ-
„ ſet, vel ab Exemplarium, quibus utebantur, varie-
„ tate, vel ab Amanuenſium audacia, qui Gloſſam in
„ margine poſitam textui inſeruerint; vel demum ab
„ iiſdem Patribus, qui nullo habito delectu Interpre-
„ tationum, quibus utebantur Eccleſiæ, Scripturæ lo-
„ ca, quæ adducere libebat, ex Græco tranſtulerint.
„ Probabiliter hæc omnia affirmari poſſunt; veri ta-
„ men ſimillimum eſt, ut notavimus, ſolemne fuiſſe
„ Eccleſiæ Patribus Scripturæ loca memoriter pro-
„ ferre.

„ Expendendum quarto loco, num vitiata ſint, at-
„ que corrupta Exemplaria, quibus utuntur; quum e-
„ nim tot ſæculorum decurſu in omnium manus vene-
„ rint, haud difficulter potuit irrepere mendum; quan-
„ doquidem ex ſupputatione Lucæ Audomarenſis De-
„ cani in poſtremis Vulgatæ Editionibus, quantacum-
„ que fuerit duorum Summorum Pontificum cura,
„ quatuor & amplius mille reperta ſunt loca emenda-
„ tione digna; quod Bellarminus & Joannes Baptiſta
„ Bandinus, qui ſuſceptæ juſſu Clementis VIII. Edi-
„ tioni præfuere, inficiari auſi non ſunt.

„ Notandum denique, ex quanam editione ſumtus
„ fuerit locus in controverſiam adductus: num ex He-
„ braica, an ex Græca LXX. num ex Vulgata, an a-

„ lia

„ lia qualibet. Illud autem hac in re principio ponendum, tot inter antiquas Editiones, nullam generatim apud Patres magis in uſu fuiſſe, quam Græcam LXX. Tum enim a Chriſto Servatore, & ab Apoſtolis uſurpata fuerat; tum etiam ab Eccleſia, ut certiſſimæ fidei habebatur: in conventu Fidelium vulgo legi ſolebat, ac demum a Judæis etiam, licet nonnihil in ea reprehenſione dignum arbitrarentur, excipiebatur tamquam legitima.

Interpres: *Non video ſane, quo fundamento nixus affirmet Auctor Operis uſurpatam a Chriſto Domino Græcam LXX. Interpretationem. Etenim Chriſtus Servator eodem cum Judæis ſermone utebatur, eandemque cum illis adhibuit Scripturam Sacram, ſcilicet Hebraicam, quibuſcumque demum characteribus ea ætate exarata foret.*

Textus. "Origenes, quum Interpretationem LXX. adhiberet in ſuis ad Fideles cohortationibus, diſputans contra Judæos, Editiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis adducebat, ut occuparet omnia nequiſſimorum hominum argumenta, qui criminari ſolebant, Interpretationem LXX. multis in locis ab Autographo, ſeu ab Hebræo Codice diſſentire.

Notæ. *Parum omnino ſibi conſtare videtur Auctor Operis hoc loco. Quum enim paulo ante dixerit, Græcam LXX. Interpretationem a Judæis tamquam legitimam acceptam fuiſſe; nunc ait, Origenem contra Judæos diſputantem, relicta LXX. Interpretatione, protuliſſe editiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Verum hæc conciliari optime poſſunt, ſi diſtinxeris Judæos Helleniſtas ab iis, qui Jeroſolymam, viciniaſque Provincias colebant. Apud Helleniſtas, utpote per univerſas Alexandri Succeſſorum Regiones diſperſos, atque Hebraicæ Linguæ pene oblitos, maximo in honore babebatur Græca*

LXX. Interpretatio, quam Judæi Jeroſolymam colentes parvi omnino pendebant. Itaque Origenes non contra Helleniſtas, ſed contra Judæos Jeroſolymorum incolas utebatur Interpretationibus Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis.

Argonenſis rurſus: " Alia quoque ratio Patres im-
„ pellebat, ut LXX. Interpretes ſequerentur; ſcilicet
„ perſuaſum illis erat, Hebraicum Codicem corru-
„ ptum fuiſſe; Græcam vero LXX. Interpretationem
„ unam eſſe tot inter, quæ extabant, Editiones primi-
„ genio Codici conſentaneam, paucis exceptis, quæ
„ demta, vel addita, vel obſcurius expreſſa fuerant,
„ ne offenderetur Ptolemæus, aliique Gentiles, quorum
„ gratiam LXX. Interpretationem hanc elabora-
„ rint.

At hæc Auguſtæ Taurinorum Interpres: *Numquam perſuaſum fuiſſe videtur Eccleſiæ Patribus Hebraicum Codicem a Judæis corruptum. Equidem Juſtinus, Irenæus, & Origenes editas narrant ab Hebræis Interpretationes a genuino Sacrorum Codicum ſenſu alienas; at vitiatum tamen ab illis Exemplar Hebraicum nemo unus affirmat. Imo ſingulari Dei O. M. providentia factum fuiſſe videtur, ut intactas & integras religioſiſſime ſervarint Scripturas Sanctas, vel iis etiam in locis, quæ illorum de[illegible]is magis adverſabantur. Hinc D. Auguſtinus eos Capſarios & Librarios noſtros appellat in Pſ. 40. & 56.*

„ Revera exiſtimabant Patres (ſubiicit Carthuſianus)
„ illius Interpretationis Auctores divinitus inſpiratos,
„ adeoque ab omni erroris ſuſpicione immunes fuiſſe.
„ Hoc ſemel poſito ajebat Ruffinus, Interpretatio-
„ nem LXX. Eccleſiis, tamquam fidei regulam ab
„ Apoſtolis relictam fuiſſe, ac D. Hieronymus Ama-
„ nuenſium ignorationi vel incuriæ aſſignat menda,
„ quæ

Digitized by Google

„ quæ in hac Interpretatione notantur; immo pro
„ certo habet, non ſecus ac Auguſtinus, ea, quæ te-
„ xtui addidere LXX. a Spiritu Sancto auctoritatem
„ habere.

„ Deinde diſputantibus contra Gentiles, qui He-
„ bræam linguam ignorabant, plurimum proderat
„ Græcam Interpretationem proferre. Tum enim
„ Verbum Dei Græco ſermone illis conſueto expli-
„ catum lubentius excipiebant; tum etiam ad eos pro-
„ prie ſpectabat hæc Interpretatio, in quorum gra-
„ tiam fuerat exarata. Itaque D. Chryſoſtomus dice-
„ re non dubitat, ſupremo Dei Conſilio factum, ut
„ Gentiles ejus Filium agnoſcerent media Græcorum
„ LXX. Interpretatione, quæ inſtar viæ, & januæ ſit,
„ qua ad eum itur. Præterea, quum frequens eſſet
„ Patribus occaſio diſceptandi cum Arianis, Macedo-
„ nianis, & Neſtorianis, qui veterem hanc Interpre-
„ tationem ceteris omnibus anteponebant, neceſſe o-
„ mnino erat, ut eandem & ipſi adhiberent.

„ Notatu tamen dignum, Eccleſiæ Patres, licet ea
„ Interpretatione, quam Sanctam habebant, Divi-
„ nam, atque Canonicam, vulgo uterentur, ubi ta-
„ men veritatis elucidatio poſtularet, ad autographum
„ Codicem provocaſſe. Qua in re ſecuti ſunt exem-
„ pla Novi Teſtamenti Scriptorum, qui relictis Græ-
„ cis Interpretibus, ad Hebræos ſe convertebant, quum
„ eorum Codices Spiritus Sancti mentem nervoſius
„ exprimerent. D. Auguſtinus, qui Editionem LXX.
„ omnibus aliis anteponendam exiſtimat, id tamen
„ vult fieri, ſalva, quæ debetur Hebræo Exemplari,
„ honoris reverentia. Neque enim antiqui Patres Edi-
„ tionem LXX. unam eſſe putabant authenticam.
„ Extabant & aliæ Editiones Scripturæ, ex quarum
„ uſu Patres aliquid emolumenti capiebant. Ejus ge-

 „ neris

„ neris ſunt Editiones Heſychii, Luciani Martyris, &
„ Origenis, quæ non tam novæ Editiones, quam Ve-
„ terum correctiones, ab antiquis hiſce Criticis ſua-
„ rum Eccleſiarum commodo factæ, dicendæ ſunt.
„ Judæi vero videntes quantum ſubſidii peterent Chri-
„ ſtiani ex LXX. Græcorum Interpretatione, novas
„ Bibliorum Editiones Hebraicis illorum temporum
„ Codicibus magis conſonas, adeoque a Religione
„ Chriſtiana magis alienas, vulgare aggreſſi ſunt.

Interpres: *Editiones ſuſcepere Judæi non tam Hebraicis illorum temporum Codicibus conſonas (quippe ut nuper dicebamus, vitiata non fuere Hebraica Exemplaria) ſed potius deliramentis ſuis magis faventes.*

„ Judæus Aquila, Theodotio, & Symmachus Inter-
„ pretationes ſuas ediderunt. Prior ſe totum vocabu-
„ lis ſerviliter addixit; alter verborum minus ſollici-
„ tus, ad Græcos LXX. magnopere acceſſit; poſte-
„ rior ſumma cum libertate, nulla vocum habita ra-
„ tione, ſolum Scripturæ ſenſum reddere ſatis habuit.
„ Eodem ſæculo, ſub Imperium Caracallæ nova Bi-
„ bliorum Græca Interpretatio in lucem prodiit. Tem-
„ poribus autem Alexandri filii Mammeæ in Urbe
„ Nicopolis alia viſa eſt, ac demum Septima, quæ
„ ſolum erat Pſalmorum Davidis.

Adnotator: *Hæ duæ Interpretationes, quinta nimirum & ſexta, detectæ quidem, repertæque temporibus Caracallæ, & Alexandri; ſed jam pridem perfectæ fuerant. Prima, referente Origene apud Euſebium, in Urbe Jericho; altera in Urbe Nicopolis reperta fuit.*

„ Denique cum Græca LXX. Interpretatio varias
„ ab Amanuenſibus corruptiones paſſa foret, Orige-
„ nes in ea reſtituenda, mediis optimis Exemplaribus,
„ quæ ſedulo exquiſivit, operam ſuam collocavit. Cau-
„ tum inprimis habuit, ne quidquam adderet de ſuo;

„ omnes

„ omnes enim additiones ex Theodotione excerpſit, „ ac veterum Grammaticorum obelis & Aſteriſcis di- „ ſtinxit.

„ Hæc omnia diligenter animadvertenda ſunt, qu- „ um loca Scripturæ ab antiquis Patribus prolata ex- „ quiruntur. Quamobrem, ut ſanum de illis judicium „ proferas, abs re non erit partem aliquam temporis „ inſumere in variarum Sacri Codicis Lectionum in- „ veſtigatione. Quod quidem ſummam diligentiam „ poſtulat, atque attentionem, ne diverſitas eſſe vi- „ deatur, ubi nulla prorſus occurrit. Conſuli poteſt „ ea de re Ludovicus Capellus, qui varias Scripturæ „ Lectiones ita collegit, ut nec illarum numerum ni- „ mis auxerit, nec earum laudes nimis celebrarit. Ex „ mille & amplius Lectionibus (ut notat recentior „ Criticus) quæ centum fere, & mille Evangelii San- „ cti Matthæi verſiculis ſubſunt, vix quinquaginta „ ſenſus varietatem inducunt; quinimmo illa diverſi- „ tas in iis rebus ſiſtit, quæ Religionem, & pietatem „ haudquaquam lædunt. Varietas Lectionum apud Ec- „ cleſiæ Patres originem principio duxit ex variis Scri- „ pturæ Interpretationibus. Verum inde etiam oriri „ potuit, vel quod Patres quorundam Auctorum, qui „ nobis ignoti ſunt, emendationibus confiderint, vel „ quod ſuas ipſi correctiones ſecuti ſint. Tunc enim „ Bibliorum Exemplaria liberius quiſque corrigebat; „ ſive quod Librariorum errata notaret; ſive quod lin- „ guæ ubertas, cum varios ſenſus offerret, pluribus „ locum daret Interpretationibus, quarum aliæ ab a- „ liis quandoque diffidebant.

„ Quemadmodum Græci Patres Græca LXX. In- „ terpretatione utebantur; ita Latini Veterem Vulga- „ tam adhibuere, quæ Latina erat illius Græcæ Edi- „ tionis Interpretatio. Aliæ præterea habebantur in-

„ nume-

„ numeratæ. Quamobrem Hieronymus, & Auguſtinus
„ ſcripſerunt, innumerabilem eſſe illarum copiam,
„ quum omnes fere, modo Latino, Græcove ſermone
„ vel leviſſime inſtructi forent, novas interpretatio-
„ nes cudere aggrederentur. Veriſimile admodum eſt,
„ Editionem Italam, qua uſus eſt Auguſtinus, ean-
„ dem eſſe, quæ a Hieronymo appellatur Vulgata.
„ Attamen D. Hieronymus, cui veteres Lucubratio-
„ nes probatæ non erant, non modo priſcam Latinam
„ LXX. Interpretationem emendandam, verum et-
„ iam novam Hebræi Codicis Latinam Interpretatio-
„ nem ſuſcepit. Quæ quidem multorum excitavit que-
„ relas, nec ab Eccleſia probari cœpit ante D. Grego-
„ rii Papæ tempora, qui Præfatione in Jobum teſta-
„ tur, Sedem Apoſtolicam utraque uti Interpretatio-
„ ne, ac ſemetipſum utraque indiſcriminatim Vulga-
„ ta, veteri, & nova uſum fuiſſe.

Commentator: *Sermo eſt hoc loco de univerſali iſtius Interpretationis approbatione, ita ut Sedes Apoſtolica utraque Latina uteretur. Quod enim attinet ad peculiares aliquot Eccleſias, ante D. Gregorii tempora procul dubio probari cœpta eſt, quinto nimirum ſæculo in Galliis, ut conſtat exemplo Salviani ejusdem ævi Scriptoris; in Hiſpaniis etiam, agente inprimis Lucinio, & in Africa, teſtante D. Auguſtino, qui Epiſtola LXXI. narrat, ab Africano quodam Antiſtite lectam in Eccleſia Prophetiam Jonæ. Ipſemet etiam Auguſtinus eam ſæpe profert in Librum Job.*

Argonenſis tandem: " Nihilo tamen minus, neſcio
„ qua de cauſſa, poſtrema iſthæc Interpretatio hono-
„ ratiorem locum occupavit: antiquæ vero nihil reli-
„ quum eſt, præter pauca apud Patres Latinos frag-
„ menta, ex quibus Nobilius Flaminius, quo melius
„ potuit modo, eam compilare niſus eſt, quæ deſide-
„ ra-

„ rabantur, marte proprio ſupplens haud infelici ſuc-
„ ceſſu. Quanquam hæc Editio ſit reſtituta, non ea-
„ dem certe eſt, quæ ante D. Hieronymum: ſatis ta-
„ men inde dignoſci poteſt, quænam foret antiquitus,
„ atque iis, qui diligentiorem Latinis Patribus ope-
„ ram navant, inutilis plane non fuerit.

Habes Lector integram Clariſſimorum Virorum doctrinam de Veteribus Scripturarum Editionibus relate ad citationes Patrum; ſeu, quid, eorum ſententia, animadvertendum ſit, ut de locis Scripturæ ab Antiquis Patribus prolatis abſque errore pronuntietur. Quamquam vero oppoſitæ a noſtra opinionis Argonenſis eſſe pene videatur; vel mediocris tamen ingenii Lector videt ſtatim per ſe, ex ſola inconſiderantia ſcripſiſſe eundem, Patres ſæpe ſæpius Scripturarum loca ex memoria recitaſſe; tot enim ac tanta ſimul ſcribit atque docet conſequutioni illi oppoſita principia, ut nil ei niſi tenuiſſima defuerit animadverſio, quo ſcribendi nobis præriperet argumentum. Siquidem, ſi Patrum diverſæ citationes ab Exemplarium varietate, ipſo Argonenſe teſte, peti poſſunt, ſi a Codicibus Amanuenſium audacia corruptis; ſi nulla aut hodie ſunt, aut fuere olim Exemplaria, quæ levibus ſaltem mendis non ſcaterent; ſi non tam Editionibus Heſychii, Luciani Martyris, & Origenis utebantur antiqui Patres, ſed Editionibus etiam Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, ſaltem adverſus Judæos, Jeroſolymorum, vicinarumque Regionum incolas; Theodotionis, inquam, qui ſumma cum libertate, nulla vocum habita ratione, ſolum Scripturæ ſenſum reddere ſatis habuit; ſi ante Pontificem Gregorium diverſis utebantur Interpretationibus Latinæ Eccleſiæ: quid aliud conſequens eſt, niſi id, quod inferendum tam recte & aperte contra Auctorem ſuum voluit Interpres

terpres, ex multiplici videlicet quæ apud Chriſtianos obtinebat olim Editionum Bibliorum Copia, earumque ex diverſitate repetendam prorſus Lectionum quæ eorundem repeiitur in Operibus diverſitatem? Hoc, cum eiſdem, tum aliis argumentis, Opere eorum nondum lecto, nobis erat certiſſime perſuaſum. Interim optimo jure ArgonenſemAdmirator ipſe caſtigavit ſuus; nil quippe tam perniciosum, quam malum effatum a docto ac ſapiente Viro inconſiderate pronunciatum. Vanis enim hujuſmodi ab fulgetris rapi ſe ſinunt leves homines: unde Criticulorum mala turba, quæ conſequutiones non prævidens, deteriora hæc diſſeminat principia, quibus inde feroces inſurgunt Riveti, Dallæi, & Clerici qui *ad hominem* argumentati ſinceritatem ac auctoritatem Patrum labefactant: unde boni demum etiam conati pene ſint ipſorum dicteriis reſpondere *Cavalierement*, Eruditorum more difficultatem expedire, acuteque præterire potius, quam perſequi moleſtius, niſi conſtruere iterum velle videantur turrim Babylonicam: quodque malorum maximum eſt, horum levitate principiorum confirmatur in inſulſitate ſua nimis etiam inſipidum ac tepidum languidi hujus ſæculi, omnia perficientis ambulatorie ac obiter, ingenium.

F I N I S.

TYPO-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

QUæ Operarum diligentiam fefellerunt, ſubtexenda ac recenſenda eſſent menda, quod facere Typographi ſolent, ad calcem Operis. Nec ſane mihi tantum tribuam, ut Editionem me curaſſe rear ab omni prorſus labe immunem; præſertim cum Authoris præſentiam opemque deſideraverim. Sed tibi profecto ſim injurius, ſi aut nimis te moroſum qui nolis ignoſcere & typographicæ calamitatis miſereri, aut parum doctum exiſtimem qui corrigere errata non poſſis. Rectius ergo quid ſcripſerit eruditiſſimus Author, quam quid forte in hac Editione peccatum ſit, ſubiicere decrevi, ut dum tu te mihi facilem præbes, ego tuæ conſulam utilitati.

P. C.

Digitized by Google

P. C. I. ANSALDI O. P.

OPERA HACTENUS EDITA.

JOſephi, Aegypti olim Proregis, Religio, a criminationibus Baſnagii vindicata. Neapoli 1737. Venetiis Tomo XXIII. Collect. Callog. 1742. Brixiae emendat. & auct. 1747.

De Inopia Veterum Monimentorum pro Copia Martyrum dignoſcenda adverſus Doduvellum Diſsertatio. Mediolani M.DCC.XL.

De Traditione Principiorum Legis Naturalis ad Carolum Polinum S. Martini Abbatem Libri III. Mediolani M.DCC.XLII.

De Diis multarum Gentium Romam evocatis Liber ſingularis. Brixiæ M.DCC.XLIII.

De Martyribus ſine Sanguine altera adverſus Doduvellum Diſsertatio. Mediolani M.DCC.XLIV.

De Forenſi Judæorum Buccina Commentarius. Brixiæ MDCCXLV.

Herodiani Infanticii Vindiciæ. Brixiæ MDCCXLVI.

De Loco Joannis, aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto, Diſſertatio. Brixiæ MDCCXLVI.

De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud SS. Patres Lectionibus Libri II. Veronæ MDCCXLVII.

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. Fra Girolamo Medolago Inquiſitore di Verona* nel Libro intitolato, *F. Caſti Innocentis Anſaldi Ordinis Prædicatorum de Authenticis Sacrarum Scripturarum Lectionibus apud Sanctos Patres Libri duo*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza ad *Agoſtino Carattoni* Stampatore *di Verona*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.
Dat. li 2. Giugno 1747.

(Zuane Querini Kav. Rif.
(
(Andrea Foſcarini Ref.

Regiſtrato in Libro a Carte 6. al Num. 37.

Michel Ang. Marino Seg.

9 . 2 . 119

Digitized by Google

Digitized by Google